





JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO
Regii Conſiliarii
FERIÆ AUTUMNALES
POST REDITUM

A REPUBLICA JURISCONSULTORUM

Prima Editio



Ære Dominici Terres

NEAPOLI Anno CIↃIↃCCLII

Superiorum Permiſſu.



FERIÆ AUTUMNALES
POST REDITUM A REPUBLICA JURISCONSULTORUM.

COLLOQUIA
Ad Titulum De diversis Regulis Juris antiqui, *ex libro Pandectarum Imp. Justiniani quinquagesimo.*



POSTQUAM nos e Republica Jurisconsultorum ad patrios lares fausto omine recepimus, eo per insequentes dies fruimur solatio, quod in ipso rerum exordio recreat ac delectat; in tædium subinde ingrata continuatione abit, & molestiam creat. Nam, uti in more positum est, fama nostri reditus pervulgata, ab amicis, propinquis, aliisque ex omni ordine vocamur identidem, blande excipimur, prece ac donis retinemur, sive do

mi, seu per viam, sive in foro, sive in templis, ubicumque demum locorum, ubi sors illos offerat. Mutuo redditis officiis, statim hi expetunt, & avide rogant, [Dii faxint, ne etiam importune] quæ fuerat acti itineris fortuna, qui lustratæ Reipublicæ mores ac instituta, quod in ea regione nomen servent Jurisconsulti, sive ex invidia diminutum, sive auctum ex merito, a quibus oppugnatum, a quibus defensum. Inter risum ac impatientiam quotidie frequente hominum turba præcingimur: confluunt juvenes: accurrunt senes: fœminæ non desunt, quæ potius victui, quam curiositati parcunt: docti quoque cum indoctis miscentur, uti fert rerum novitas, quæ illis cognitionem, hisce auget stupiditatem. Pulcrum nonnullis, miserum aliis reddimur spectaculum: nam in tanto gentium concursu hic fervide interrogat: ille attente audit: alii portentosam narrationem mirantur: cognitis alii terrentur periculis: quidam sermonem ineptis quæsitis interrumpunt: non pauci repetitum, ut melius percipiant, volunt: plures elatiorem vocem ob situs distantiam desiderant: plures pugnantibus humeris ac manibus urgent, ut nobis propiores fiant: multi submussantes discedunt, quia nequeunt resistere: &, quibus audacia familiaris est, turbas excitant, & casu forsan repulsi, vi ac petulantia acriter repellunt. Diu fastidium toleravimus; sæpius nos occasioni subduximus. Sed parum aut tolerandi docilitas, aut nos occultandi industria profuit; passim in hunc scopulum impegimus, eo usque, ut tanta molestia sauciati ac pene enecti in furias quandoque abicimus.

Dum hisce premebamur angustiis, ego J. Jenutius sociis dilectissimis T. Numicio, L. Pinario, & C. Nautio auctor fui, ut, recurrentibus jam Feriis autumnalibus, procul ab urbe discederemus, aliquo ad capessendam animi tranquillitatem delecto loco, qui situs amœnitate, salubritate aëris, &, quæ præ cæteris cara foret, amabili solitudine præstaret. Hoc pacto vis omnis a nobis aver-

averteretur; non tam ex Majorum instituto, quo, 1 vim fieri Feriarum tempore, prohibitum est; quam ex nostra ab urbano tumultu fuga, quæ importunam aliorum curiositatem eluderet. Placuit consilium, communi voto exceptum, & mutua lætitia probatum: levis tamen dissensio de loco statuendo suborta est, qualis amicitiam nedum non lædit, sed potius nutrit ac fovet: quibusdam propositis villulis, sua cuique obstabat exceptio. C. Nautius ex suo more caute silebat, ut, exceptis prius aliorum difficultatibus, tutius secum fingeret judicium, & quæsitus gratius promeret. Tunc nos, Quid taces, Nauti? Profer sententiam tuam; lubenter accepturi: nam meliorem, nostris sponte depositis, semper experti sumus. Ille, innocue subdolus, quam expectabat, interrogationi extemplo satisfacit: & locum, inquit, qui votis nostris belle respondeat, aptiorem nullum existimo, 2 præter Capreas, insulam non longe ab hac urbe

 positam,

1 *Vim fieri tempore Feriarum, prohibitum est*) Feriæ dictæ sunt ἅγιαι αἱ σχολαί, in quibus ocium, & cessatio operum, & Judiciorum; & vis omnis avertitur. Sane lepidum est, quod scribit Macrobius Saturn.I.15. *Feriis vim cuiquam fieri, piaculare est: ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus vis fieri virginibus videtur. Sed, Verrium Flaccum Juris pontificii peritissimum dicere solitum, refert Varro, quia Feriis tergere veteres fossas liceret; novas facere, jus non esset: ideo magis viduis, quam virginibus idoneas esse Ferias ad nubendum.*

2 *Præter Capreas, insulam non longe ab hac urbe positam,*] Ea est in Tyrrheno mari posita: tribus milliaribus a Minervæ promontorio distat, viginti quatuor circiter a Neapoli; nimis veteribus cognita, cujus meminere inter alios Tacitus, Suetonius, Plinius; & ita Ovidius lib.XV. Metam.

Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ.

D. Octavius Cæsar Augustus, ut refert Suetonius, *apud insu-*

positam, cæli ac telluris elegantia suavissimam, 1 Tiberj olim infamia, occultisque flagitiis celeberrimam; & nunc etiam, in ipsa rerum humanarum conversione, 2 ob extantes tantorum operum ruinas, doctis hospitum oculis admirandam. Omnes C. Nautio grates reddimus, laudata mentis diligentia, quæ raro cum fallit, & amicorum voluptati consulit: nulla enim statio melior visa ac opportunior, quæ incommoda tacito secessu sublevaret, sanitati

insulam Capreas, veterrimæ ilicis demissos jam ad terram, languentesque ramos convaluisse adventu suo, adeo lætatus est; ut eas cum Republica Neapolitanorum permutaverit, Ænaria data.

1 *Tiberj olim infamia, occultisque flagitiis celeberrimam*,] Ita de hoc Imperatore Suetonius: *Peragrata Campania, cum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam caussam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit; præcipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo maris*. Paullo post: *Secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum: in quam undique conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos* Spintrias *appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut adspectu deficientes libidines excitaret &c.* Pejora addit, quæ pudor est exscribere; & tanti sunt, ut idemmet Suetonius scribat: *Vix ut referri audirive, nedum credi fas sit*.

2 *Ob extantes tantorum operum ruinas &c.*) Edito in loco, ubi planities est, Tiberianæ domus vestigia spectantur; ut docent antiquæ pilarum substructiones, columnarum fragmenta Numidico e marmore, vastissimi immensique fornices in ipso pene montis sinu extructi, cisterna magni ambitus, quæ e superioribus defluentem colligit aquam & servat; aliæque non levium monumentorum reliquiæ, admirationem apud posteritatem excitantes.

nitati äeris clementia prospiceret, ocio non illiberali eruditisque colloquiis spatium præberet curis omnibus solutum. Ad hæc L. Pinarius: Bene est.: locum jam delegimus; de domo tamen nihil cogitavimus, de qua juvat ut in primis solliciti simus. Tota mea illhæc cura est, respondet Nautius: mox epistolam M. Vitellio, mei amantissimo, scribam: eum de nostro adventu certiorem faciam; prece addita, ut domum, quam hospitibus paratam habet, aprico prospectu nitentem, & omnibus, quæ ad vitæ usum poscas, apprime instructam, nobis commodet. Nihil mihi facilius, ut id consequar; nihil illi optatius, ut id permittat. Vir est mitissimi ingenii, qui rogari minime patitur: sed rogat ipse, ut illuc amici accedant; nec tam conferre, quam accipere beneficium putat, ubi hæc præstat humanitatis officia. Optume, una omnes clamavimus; & post triduum discedere statuimus. Eo elapso, sub aurora ad oram castri Luculliani ex compacto convenimus: in promtu ibi phaselus, in quam conscendimus. Et jam procul a litore blandule cœpimus navigare, dum serena matutinæ lucis temperies purissimum spondebat diem, præter spem, ob minutam hesternæ diei pluviam, quæ dubium in crastinum faciebat discessum. Suaves interea spirabant auræ; & pellucidas lenique flatu crispatas undas tremuli Solis paullatim assurgentis inaurabant radii: remis ducimur, non velis; uti nautis in antecessum præcepimus: placuit lentior mora, quæ in placidissimo mari delectationem augeret; quam citissimus cursus, qui minueret. Et ecce, qui oculos beat, pulcherrimus prospectus: humiles frugiferique clivi, odora viridique alga vestitæ rupes, spissis oleis coronati montes, sparsa hinc illinc, & veluti ad variandas campestris theatri delicias interposita passim ædificia; quibus & Stabiæ, & Vicus, & Surrenti plaga, & Minervæ delubra perbelle ornantur. Ut vero, non corpori solum, sed animis solamen accederet; *Sermonem* habeo, inquit L. Pinarius, a me compactum, forsan non illepidum; vobis, si placet, recitaturus. Tunc C. Nautius: Recita quæso, rem tuo ingenio dignam af-

feres; ſed, dic primum, cujus eſt argumenti? L. Pinarius, Nil opus, ait: in ipſo carminum veſtibulo, quod flagitas, habebis: favete: jam incipio.

Ut ſint ridiculi, ut cunctis videantur inepti,
Magna vi certant homines; precioque laboris,
Heu! quantum plures impenſi turpiter annos,
Hanc ignominiam redimunt; famamque pudenda
Jactura amittunt, quam ſtulti adquirere tentant.
Splendide in hoc erratur; & error imagine recti
Diligitur, magniſque animo radicibus hæret.
Sic multi falſa roſi prurigine, ſpernunt
Optima, non ipſis nota; & pejora ſequuntur,
Quæ credunt meliora; ſibique imponere gaudent;
Præque auro cœnum, tenebras pro lumine ſumunt:
Atque inopes cum ſint, opibus ſplendeſcere jactant.
Hi nullo monitu, nulla ratione moventur,
Non precibus, non exemplis, non denique quovis
Aut lucri aut laudis promiſſo munere: mens eſt
Fixa malis propriis, numquam commota periclis.
Quid facies? Ride: perdes operam atque oleum, ſi
Iſtorum ſanare velis deliria mentis.
Hi formoſi aſini numquam emendantur, & aures
Obdurant, & correctores calcibus arcent:
Objiciunt, nos nil ſapere; invidiaque odioque
Contra ipſos rabide nos talia fundere: clamant,
Quod vitii nomen virtuti appingimus, & quod,
Quidquid habent ipſi, nobis quod habere negatum eſt,
Pauperie noſtra attriti, damnare ſtudemus.
Qui talis mihi viſus, is eſt Siſennius, ille
Qui ſe Cauſidicum facit, atque ſuperciliosſo
Inceſſu gravis, & tumidus ſermone moleſto,
Eſſe ornamentum ſecli putat, & decus artis
Juris, nec clamoſa Fori ſubſellia lumen
Seu par, ſeu majus, luſtris vidiſſe peractis.
Huic corpus breve, ſed gibbum ſub parte ſiniſtra,
Subfuſcus color, ac cervix rugoſa, lacerti
Abnormes, infirmi oculi, vox abſona, blattis

Ac

Ac tineis facies corrosa, & pendula labra.
Quam verum est, quod sæpe foris natura, quod intus
Conditur, ostendit. Deformi apparet in ore
Deformis doctrina, imo quæ pectore clausa est;
Pulcraque se pulcro referat sapientia vultu.
Discendi huic ingens ardor. Bene: quid tamen inde?
Num didicit, disci quæ debent; an potius, quæ
Dediscenda forent, conatu amplectitur omni?
Sic est: non fallor. Viden, ut primoribus annis
Grammaticam tangit: recitat vix nomina, verba
Declinat leviter, Syntaxim præpete cursu
Lustrat: jam Latie loquitur; nimis emendate
Jam scribit: redeunt Augusti jam aurea secla,
Nec nostra antiquis linguæ decus invidet ætas.
Ad Logicam pergit; qualem tu credis? Ad illam
Forte artem, qua mens bene cogitet? Haud ita. Tantas
Quærere opes nescit; sequitur penetratque cloacam,
Tot rimis misere oppletam, implexisque refertam
Præstigiis Arabum, & nil significantibus auctam
Verborum bombis, rabie imperitante scholarum,
Inventis: quo fine? ut sic furiosius audax,
Et temere impavidus cæcis contenderet armis.
Cætera despexit: sunt barbara nomina Vates;
Sunt Oratores obscura vocabula; vani
Historici; vana ars Critices; vana omnia demum.
Ut præter rapas, cæpas, atque allia, siqua
Fercula sunt, succo ac precio meliora, bubulcis
Non sapiunt, fatuo nec nota, nec apta palato;
Sic olli, præter rerum excrementa, misello
Collecta e trivio, doctrinæ splendida sordent
Semina, & egregiis tractatæ Auctoribus artes.
His enutritus magnis virtutibus, ad Jus,
Et Legum studium accedit. Quam magna daturum
Sincipit hoc asini est, dicam; quæ norma, quis ordo
Est sibi propositus. Quodcumque in corpore Juris
Clausum est, quod purum putumque ac nobile, omittit;
Hoc putat insipidum, vinum hoc & inutile censet.
Non illum, cui nasus iners, vulgare palatum est,

Alliciunt opera, immenso sudata labore,
Quæ primum Italia, egregiis felicior ausis,
Gallia dein, nostræ generosior æmula famæ,
Edidit; unde suus tantæ decor additus Arti,
Divitiis auctus, quas pleno Græcia fonte
Attulit, & veteris Latii pretiosa venustas.
Cuncta isthæc spernit vacua ista cucurbita, vili
E limo saliens, & multo stercore pinguis:
Quisquilias amat, & libros conquirit ineptos;
Pergit ad impuros fontes, putridasque lacunas.
Discit ab his leges, si Dîs placet, ordine nullo,
Nullo delectu, ac nulla ratione citatas:
Atque incompositam, cœnoque ac tabe fluentem
Doctrinam exhaurit, qua cornicatur: & omnes
Turmatim Auctores laudat, nihil educat ex se;
Ex aliis totum transcribit; falsaque veris
Miscet, cum dubiis perspecta & clara maritat.
Sese immergit in hæc, & in his solatia quærit.
Omnis in his amor est: numquam saturatus ab illis
Discedit; redit huc avide; noctesque diesque
Sedulus insumit. Prægrandibus inde papyris
Dispositis, notat hic, quæ perlegit, omnia; resque
Sub titulis, ubi vult melius, distinctaque poscat
Materies, cumulat. Sic magna volumina crescunt,
Queis Reppertori *nomen solenne tributum est.*
Hæc ostendit, & hæc aperit, compellit & omnes,
Ut videant, laudentque sui monumenta laboris,
In vanam pompam, cruciatum & tædium eorum,
Hunc qui, sorte mala, sunt forsan adire coacti.
Ah! vellem hoc sciret, quod non ex indigesta
Rerum congerie quærenda est gloria. Lecti
Doctrinæ flores, mens prædita luce, subactum
Judicium veræ mercantur præmia laudis,
Et famam extollunt, immortalemque tuentur.
Bruta olim contendebant, præstantia cuinam
Ex ipsis statuenda foret. Res plena pericli
Visa. Placet cunctis, ne rixa ferociat ultra,
Ab Jove decerni litem. Jam Numen aditur.

Audiri

Audiri rogitant: permittitur. Ecce paratus
Accedit Leo; & hic tumidus, Quis deneget, inquit,
Primatum mihi, qui rugitu, viribus, ungue
Armatus, timidis parco, & submitto superbos?
Dein Elephas; Specta corpus, conclamat; an iste
Grandius est aliis? Turres ego milite onustas
Exporto, & nostro sub dorso bella geruntur.
Bos quoque non animos posuit: Me cornua, dixit,
Efficiunt fortem: his cunctos frons territat armis;
Atque index iræ fumat sub naribus ignis:
Et Canis, & Vulpes, & Simia, & Ursus, & Agnus,
Testudo, & Cornix, & cætera turba animantum;
Quos inter, (quis credat?) & ipse accessit Asellus:
Et jus quisque suum pandit; valideque perorat.
Excepit placide sermones Juppiter; & jam
Jurgia dirimeret, ni factus certior, illuc
Parvæ molis Apem celeri properare volatu.
Hæc operosa Jovi promto sic ore locuta est:
Rex Divûm, desiste parum, & perpende, quid ipsa
Pro me sum dictura; dehinc sententia litem
Finiat: Exilis mihi sum, & paupercula: notum est.
A vento, a pluvia, a tonitru commota pavesco.
Sed labor eximius, sed multa industria nostrum
Commendat nomen: peragro vigilantius arva;
Hic ubi versicolor ridet mihi gratia florum:
Succum colligo ab his meliorem: viscera turgent
Sanguine tam puro; atque hominum in solatia vitæ
Et mel & ceram, suavissima munera, præsto:
Ergo præ reliquis potior mihi fama videtur.
Perculit ista Jovem non falsa oratio; & illi,
Omnibus exclusis, fausto dedit omine votum.
Hæc, quam proposui, narratur fabula surdo.
Non sana hæc præcepta lubens Sisennius audit.
En jam causarum factus defensor, in æde
Privatim, inque Foro, perque atria lata Senatus,
Doctrinam hanc vendit, falsam, atque gravem insipidamque,
Acceptam nulli, soli sibi, cui mala cervix

Det

Dos magna est, gratam : Proh quantum garrit, Amici,
Doctor hic, ampullis, fumo ac fuligine plenus!
Hunc, quæso, hunc fugite, & tamquam chiragram, podagramque,
Et scabiem, & quemcumque alium morbum exitialem,
Arcete. Ah! quonam pacto sanabitis aures,
Hujus ab insulsæ quassatas murmure vocis,
Et tantum, ut par est, cultis sermonibus aptas?
Illum olim audivi, plus risu, nescio, an ira
Impatiens, tumide jactantem talia dicta:
Qui mihi sum, quanti valeo, quemnam latet? Omni
Accinctum inveniet me quilibet argumento:
Nil soleo sine lege loqui, sine maximo acervo
Scriptorum. Quid enim si dos hæc deficit? Annon
Et languet sermo, & quævis scriptura fatiscit?
Nec paucis sum contentus: mihi pagina pauper,
Et mihi semper erit pauper quæcumque loquela,
Tertio ubi verbo, non legum turba, caterva
Commentatorum campo spatietur aperto.
Hæc est vera hominum sapientia: divite pompa
Sic nitet ingenium: sic pugna est fortior: & sic
Securam spondet felix victoria palmam.
Ite procul jejuni animi, queis tanta supellex
Non pateat, visi seu scribant, sive loquantur,
Pallidi & exsangues, sicci, rerum omnium egeni.
Pinguis ego, succosus, & in quacumque paratus
Materie, & quavis in controversia opimus:
Legem unam cito, dein aliam superaddo, ducentas
Plenius adjungo. Scriptorum copia promta est;
Hunc atque illum expromo, antiquos atque recentes;
Notos, ignotosque, & quos numerare nequibis.
Nec multum insudo: mihi subveniunt in eundo,
In lente stando, dum mingo, dormio, sterto.
Quæ vox firma, papæ! quæ confidentia! Miror,
Expaveo, atque alium videor delatus in Orbem,
A spectris terreri, atrisque agitarier umbris.
Et sane dictis respondent facta; statimque,
Quæsitus, seu sponte; bene aut male; nil modo refert;
Conce-

Concedat, neget adversarius; urgeat, aut se
Contineat tacitus; non cessat gutture pleno
Accensisque oculis blatero insulsissimus omnes
Congerere Auctores, leges, glossasque, rubricasque,
Atque appendices miseris centonibus auctas,
Et titulum, & versum, & numerum, foliumque crepare.
Non secus ac effrænus hiantibus belluo buccis,
Indocilis retinere gulam, jejunia numquam
Assuetus tolerare, furens noctuque diuque,
Et sine fine, cibi genus omne ingurgitat, & se
Usque vel ad fauces escis vulgaribus implet,
Atque saginato gravat intestina tumore:
Non alio tantam ingluviem sibi digerit usu,
Quam spisso ventris crepitu, quam ructibus oris
Horrendis, misere nasum eructantibus, atque
Abnormi vomitu, stomachum qui provocet, et qui
Innocuas fœtore gravi contaminet auras.
Vera equidem narro; nam sæpius accidit, ut quis,
Quod notum est lippis, notum tonsoribus, & quod
Nec puer insipiens, nec anus vinosa negaret,
Proponat: subito iste emergit, & inquit: Adest hic
Textus, quam nitidus. Recito: viden, an quadret? ohe,
Quam pulcher! Si vis alios; dabo: non piget; audi,
Quos tibi nunc refero: Scriptores num cupis? Ecce
Bartolus, & Baldus, Fulgosius, Imola, Jason,
Et sexcentum hujus generis, similisque farinæ:
Optas verba? Tene: præsto sunt omnia. Plaude.
Hem, vis ingenii, & memorandi mira facultas!
Hem, promus condus Legum, & Sapientiæ ocellus!
Adstantes plausum simulant; & rancidulam, atque
Effœtam palpant animam; gestuque procaci
A tergo illudunt, & caudam apponere tentant;
Effusosque premunt salientes ore cachinnos,
Ne strepitu moveant turbas, & protinus atrox
Lis enascatur, duris contermina pugnis.
Vivat, io! eximius nugator; & undique famam
Aucupet hac tanta, felix quam possidet, arte:
Æternum vigeant, immortalesque triumphent

Sermo-

Sermones pleni transcursibus infinitis,
Nil sanum, solidum nil concludentibus umquam;
Scripturaque etiam quovis memorentur in ævo,
Congerie immanes, spurcatæ margine toto,
Et legum cumulo, atque Auctorum exercitu inepto,
Triste fatigantes animumque oculosque legentum.
Hoc tamen a Superis unum precor, ut mihi salvæ
Sint aures, sit firma mihi patientia; longe
A me absit tam largus opum possessor, & almæ
Præsidium Themidis: me parvo vivere censu,
Me sinat ignavis inopem pallescere in umbris;
Atque alios hac dote beet; rabulasque forenses
Alliciat, genio similes, queis sarcina rerum
Indigesta placet, queis dicta & scripta videntur
Optima, non merito, sed inani splendida mole.

Ad carmen tam salsum ac vividum risimus ac plausimus: & quoniam hoc aculeato scribendi genere præstare L. Pinarium, novimus; eumdem rogamus, ut per eos dies, quibus morari Capreis liceret, alium oppositi argumenti *Sermonem* effingeret; & delicatulum quemdam Jurisconsultum, æque nobis non ignotum, ut erat Sisennius, pari colorum luce pingeret; cui nec leges, nec interpretes, nec alii quicumque hujus facultatis libri sapiunt; sed, neglecta omnium auctoritate, ipse sibi solus placet, & oracula venditat. Ad nostra dicta pronus, non recusat Pinarius; & morem nobis gessurum, ea facilitate, qua præditus est amabili, pollicetur. Sed C. Nautius, ut pro illa parte, inquit, qua potero, mutuas confabulationes adornem, non ego fraudabo vos recitatione Periphrasis Tituli Pandectarum *De diversis Regulis Juris antiqui*, quam elegiaco carmine contexui, & mecum attuli. Ea ultimam non adhuc limam admisit, mox receptura inter subsecivas nostræ hujus rusticationis horas. Quod, ubi non improspere succedet, statim vestris auribus vestroque acri judicio submittam. Rem difficilem tentasti, tunc ipse dixi: sed quid est vel maxime arduum ac pene desperatum, quod a tuo eximio mentis acumine, ac felicissima ingenii vena non de-

debeat expectari? Immo, quoniam de hoc Titulo mentio fit, nonnulla de ejus seu præstantia, seu vitiis disceptare aggrediamur; ut certa nostris colloquiis suppetat materies, quæ inter rusticandi voluptates utilitatem misceat ac conjungat. Omnium assensu meum excipitur consilium; & rem neque aridam neque insuavem futuram cuncti sibi promittebant. Paullo post meridiem Capreas perducti sumus. M. Vitellius, epistola C. Nautii de nostri adventus tempore certior factus; ne suæ urbanitati, quam plurimam in eo sitam cognovimus, deesset, præsto cum famulis in litore aderat. Nos voce blandula salutat, & osculo dulcissimo amplectitur; inque proximum recessum, viridi arborum corona a Solis radiis defensum, ducit; ubi frigida, quam argentea pelvis servabat, lavari rogat, & candido linteo abstergi, quod famuli exibuere, ut ab æstu relevaremur, qui adustas postremi itineris horas nos non levi fastidio affecerat. Arrisit M. Vitellj comitas, vel in hisce minimis parandis commodis ingeniosa; & quæ tanta sui amoris dexteritate majora in posterum spondebat. Inde domum pergimus; & ne impendens supra caput Sol molestam redderet viam, singulis umbellam tradi jubet, quæ ardoris tædium hac tutela averteret. Tectum denique subimus, non superbum, sed elegans. Ibi, quod delicias spectat, nihil desideras; quod vero fastum, nihil vides. Probe noscis, ruri esse, ubi simplicitas & placet & optatur; non in urbe persistere, ubi magnificentia animos potius extollit, quam delectat. Ibi quoque silentium, quod solo avium cantu placide interrumpitur; pax, quæ nullo tumultu frangitur; pauca circum villicorum turba, quæ nec tetram, habitatorum inopia, solitudinem reddit; nec strepitu negociorum rusticam violat quietem. In ingressu candidum marmor ac perpolitum ante fores oculis objicitur, in quo hoc erat insculptum epigramma, nitidum, hercle, ac facetum.

AERE

AERE. MEO. CONSRVCTA. DOMVS. NEC. PARVA. NEC. AMPLA. EST
NIL. QVOD. OPVS. SIT. ABEST. NIL. QVOD. ABVNDAT. ADEST
HOSPITIBUS. NEC. CLAVSA. MANET. NEC. PRORSVS. APERTA
SEMPER. CLAVSA. MALIS. SEMPER. APERTA. BONIS

Inſcriptionis ſententia, & carminis venuſtas ab omnibus commendatur: & memoria hoſce retinere verſiculos quiſque ſtuduit. Tunc ex inſperato, & nimia quadam interna lætitia exæſtuans, inquit T. Numicius: Felices nos fortunatoſque, quibus hac tam beata amœniſſimaque ſtatione, brevi ſaltem ſpacio, frui licet. Utinam vel ſemper vel diutius ſortis arbitrium vitam hic ducere ſineret, procul ab ærumnis, procul ab iis, quæ animum ſauciant, ægritudinibus, nulla prorſus via inter civiles curas vitandis. Video, quam miſeram ſollicitamque faciant in medio hominum commercio ætatem noſtram tot improviſi caſus, tot implicitæ viciſſitudines, quas nulla declinat prudentia, nullum lenit conſilium, nullum reparat præſidium: dum enim peragendis, volens nolenſve, me immiſceo negociis, terret me invidia, quæ tacite furit; agitat timor, qui prævidet pericula; torquet ſpes, quæ pectus facile occupat, cito deſerit; turbant mendacia, quæ fidem frangunt, expectationem deludunt; excruciat calumnia, quæ occulto telo famam vulnerat. Contra vero in hac tranquilla gaudii ſede, omnia, quæ ad comparandam mentis felicitatem, ad tuendam corporis valetudinem, ad nos nobis ipſis plene ac ſuaviter reddendos, abunde ſuppetunt, numquam deficiunt; & nedum continuatione non nauſeant ſed longo uſu meliora deprehenduntur. Dum hæc Numicius commemorabat, ad prandium vocamur, ſobrium, ſed lectiſſimum; in quo nec candida vitula, nec lac concretum, nec odori piſces, nec ſuaviſſima olera, nec poma delicatula, nec exquiſiti ſaporis vinum pro convivarum libitu defuit. Poſt refectas cibo ac potu vires, ſomno indulgere placuit, quem aliquantulum nox præterita, ſtudio properandi ante Solis ortum itineris, fraudaverat.

Per inſequentes ſex dies, nunc hac, nunc illac, totam inſulam

sulam lustravimus, pari labore ac oblectamento; altero ob viæ difficultatem; altero ob apricos, quibus rapiebamur, prospectus; ita ut nescires, quid potius velles, aut labori parcere præ corporis lassitudine, aut oblectamentum prosequi præ dulci animi levamine. Verum, ubi propter asperas locorum semitas, quibus regio abundat, considere, & spiritum colligere fas erat; varios pro re nata excitamus sermones, præsertim de Tiberio Cæsare, cum rudera illa imperatorii saltus sub oculos cadebant; quæ in posteritatis admirationem servat adhuc ætas; non ut inviso Principi gloriam comparet; sed ut infelicissimæ dominationis memoriam non extinguat. Plura Taciti loca expendimus, ubi Scriptor sapientissimus vivam subdoli hujus hominis pingit imaginem; 1 præceptorum dives, quibus monet, regnandi artes, pravis consiliis admixtas, & metu subditorum, non amore exercitas, non minus nocere iis, qui inviti parent, quam illis, qui perfide jubent. Hisce transactis in hunc modum diebus, ea, quæ deinde illuxit, domi nos detinuit; non ex voto, sed pluviæ numquam cessantis impedimento. Quamobrem, uti occasio ferebat, & propositi instituti ratio postulabat,

coe-

1 *Præceptorum dives*] Lips. in Not. ad Polit. 1. c.9. hæc de Tacito. *Quis illo verius narrat, aut brevius? Quis narrando magis docet? In moribus quid est, quod non tangat? in affectibus, quod non relevet? Mirabilis omnino scriptor, & qui serio hoc ipsum agit, quod non agit. Nec enim historia solum est, sed velut hortus & seminarium præceptorum. Ut ii, qui vestes acu pingunt, ingeniose gemmas inserunt, sine confusione & noxa formarum; sic iste passim sententias, serie narrationis nihil omissa aut læsa. Scaber tamen quibusdam & obscurus videtur: suone vitio, an ipsorum? Nam acute arguteque scripsisse, fateor: & tales esse debere, qui eum legent; ideo Consiliariis magis Principum, quam ipsis commendo; qui habeant hunc Sapientiæ simul & Prudentiæ verum ducem.*

cœpimus aliqua super Titulo Pandectarum, *De diversis Regulis Juris antiqui*, edisserere. Tunc ego, ad C. Nautium conversus; Hujus disputationis exordium tibi debetur, qui huic argumento, uti conjecturam facio, ob exaratam Periphrasim, studii non parum adhibuisti. Lubens pareo, inquit Nautius; dicturus, quæ sentio, ea libertate, quæ obsequium erga veteres, ubi decet, integrum servet; illorum vero seu negligentiam, seu culpam, ubi opus est, non prætereat: par etenim piaculum duco, vel eos impudenter corripere, qui laude digni sunt; vel timide excusare illos, sive indecore extollere, qui censionem merentur: quippe in utramque partem peccatur maxime, aut iniquitate, quæ optima improbat, aut adulatione, quæ pessima commendat. Igitur, aperte rem ipsam loquar, nihil utar circuitione; & quod in primis assero, illud est, hujus Tituli *Inscriptionem* inconcinnam videri: nam, quæ elegantiam parit, pudica abest vocum temperantia: sæpe minus explicatur, ubi plus dicitur; & non raro, quam vitat decenter brevitas, obscuritate misere involvitur exuberans verborum luxuria. Sat erat, titulum adstruere hac epigraphe, *De Regulis Juris*. Abundant, meo quidem judicio, duo illa vocabula, *Diversis*, ac *Antiqui*. Quæso, quænam sana ac nitida, non autem cerebrosa ac contorta dabitur interpetratio illi adjuncto *Diversis?* Forsan, quod plures Regulæ sint? Nugæ. Vox ipsa, plurium numero usurpata, perspicue notat, non unam, sed multiplices hoc Titulo Regulas, singulas suo deservientes argumento, cumulari. 1 Forsan, quod variæ sint, invicem separatæ, ac inter se disjunctæ? Sed ne-

1 *Forsan, quod variæ sint, invicem separatæ, ac inter se disjunctæ?*] In hanc accipiuntur significationem Scriptorum loca, quæ hic adnecto. Cæsar lib. II. B. G. cap. 24. *Cum Numidas diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent*: idest, separatos ac disjunctos. Livius l. IV. c. 22. *Diversissimis locis subire ad mœnia*: idest, variis, nec omnino iisdem locis.

neque commentum hoc inutilem hujus vocis appositionem valide defendit. Constat, in arte qualibet, quæ regulas adsciscit, dissitas illas esse, ac nulla plerumque societate conjungi; cum unaquæque suo usui respondeat, omnes vero in universum conspirent. 1 Forsan demum, quod dissimiles sint, & secum una pugnantes? Sed, qui significationem hanc velit appingere, nemo est, qui aut inverecundus audeat, aut vigilans somniet. Quid enim foret absurdius, quam acerrimum inter has Regulas bellum inducere, & mutuo conflictu illas destruere? Quare eradatur ab hoc Titulo vox ista *Diversis*, quæ ferias agit, & situm nullo merito occupat. Porro otiosum alterum vocabulum, *Antiqui*, aut saltem æquivocum est: quod sane vitium in Inscriptionibus tolerari nequit; quæ nisi frontem exerant serenam, omni fuco ac fallacia spoliatam, lepore carent ac dignitate. 2 *Jus Antiquum* varie ac-

1 *Forsan demum, quod dissimiles sint, & secum una pugnantes?*) Huic significationi respondent hæc alia Scriptorum loca. Cicero IV. Acad. *Certa cum illo, qui a te totus diversus est*. idest, dissimilis. Tacitus Ann. XII. *Mox, nullo in diversum auctore, quæ offerebantur, secuti sunt*. idest, nullo in contrariam partem auctore. Suet. de Cl. Orat. *Interrogatus a Varrone diversæ partis Advocato, quidnam ageret*. idest, oppositæ partis Advocato. Quintil. lib. II. cap. 3. *Sententia priori diversa*. idest, pugnans cum priore.

2 *Jus antiquum varie acceptum, non tantum apud Interpretes, sed penes ipsos etiam juris Conditores*) Interdum etiam pro Jure gentium, quod cum humano genere natura prodidit; ita Cajus L. 1. D. de Acq. rer. dom. §. Singularum, Inst. de Rer. divis. Antiquum Jus etiam dicitur, quod ex Legib. XII. Tab. descendit, ut in L. In rem 24. §. Tignum, D. de Rei vindic. Porro in L. Gallus 29. §. Si ejus, D. de Lib. & post. Jus antiquum accipitur pro eo, quod Legem Vellejam præcessit. Apud Ulpianum in L. 1. §. Si nemo,

acceptum, non tantum apud Interpretes, sed penes ipsos etiam Juris Conditores. Nunc Leges XII. Tabularum, nunc Responsa Prudentum, nunc jussa Pop. Romani, nunc Plebiscita, nunc Senatusconsulta, nunc anteriorum Principum Constitutiones, ac Rescripta sub hac appellatione veniunt. Cuinam ex opima tot significationum messe vocem *Juris Antiqui* referas? Aut nescis; aut ex arbitratu finges: quorum alterum ignorantiæ turpitudinem affert: alterum licentiæ promovet abusum. Si hanc sumas, nulla caussa est, cur aliam deseras: nota antiquitatis cunctis apposita est: de sua injuria unaquæque dolet, si aliqua prætermittitur. Quamobrem anceps isthæc, & varia interpetratione fluctuans Inscriptio, non declarat, non indicem signat, sed excitat quæstionem. Si tamen Jus omne, quod ætate Triboniani extabat, priusquam aliud noviter per Justinianum induceretur, pro *Jure Antiquo* accipias; en aliæ tricæ ac ambages: Nam quo pacto illud *Antiquum* dicitur, cum *Novum* desit? Hæc duo vocabula, *Antiquum* ac *Novum* invicem correspondent, & alterum alteri refertur; nec sine insania alterutrum admittitur, quoties utrumque non concurrat. Sed neque totum Jus Triboniani ævo anterius in hoc argumentum indiscriminatim est admittendum: non enim æqua sorte integrum illæsumque ad Tribonianum pervenit: aliud desuetudine cecidit: aliud contrariis institutis immutatum: aliud perenni successione servatum est. Idcirco in locum *Antiqui* opportunius 1 subroganda esset vox Re-

mo, & L.2. §. Si mater, D. ad S. C. Tertyll. accipitur pro eo Jure, quod Senatusconsulta Tertyllianum & Orphicianum præcessit. In Papiniani Responso L. Seja, §. fin. D. de Donat. cau. mort. Jus antiquum illud Jus denotat, quod Severi Constitutionem præcessit.

1 *Subroganda esset vox* Recepti) Receptum est, quidquid ab omnibus approbatur, nihilque extat in contrarium. Inde *Jus moribus receptum*, in L. Non debet, D. de Dolo malo; ubi Budæus. *Et Jus receptum* in L. Minorum, C. In quib. caus. in integ. restit. non est necess.

Recepti; & in hunc modum concipiendus Titulus, *De Regulis Juris Recepti*: ut hinc lectores forent admoniti, has Regulas non ex omni jure a Majoribus tradito esse exceptas, sed ex ea *Juris Antiqui* parte, quæ a tot Jurisprudentiæ conversionibus, tamquam e naufragio erepta, ad ea posteriora tempora vigebat, & in Fori usum circumferebatur. Ad hæc L. Pinarius: Laudo ingenium tuum, Nauti, in his effingendis difficultatibus: sed, si mihi venia detur, & tuis non fiat ingratiis. Sententiam meam aperiam. Et sane miror, hanc tibi displicere *Inscriptionem*, 1 quæ a Petro Fabro, viro apprime docto, cui aduncus non defuit nasus, & rusticus non aderat palatus, defenditur. Quod affers, Pinari, teneo, respondet Nautius: sed clarissimus hic Jurisconsultus, quæ nuper objeci, prorsus non tangit; & quæ de suo promit, nihil omnino evincunt. Super voce *Diversis* sicco pede transit, & meam non vindicat curam, ut, quæ narrat, vel probem vel refellam. Immoratur tantisper super alia voce *Antiqui*; eamque appositam existimat eo intellectu, quasi, quæ in hoc Titulo describuntur Regulæ, ad illud Jus referantur, quod est Justinianeo antiquius. Sed hac super re partim responsum superius datum, partim mox dabitur. Aut enim, ubi hic Titulus compactus est, non adhuc Justiniani Constitutiones editæ fuere; &, uti in antecessum notavi, sua labe non purgatur *Inscriptio*, quæ de *Antiquo* loquitur, cum *Novum* in lucem non venerat: aut illæ in publicum jam prodiere; & alterum ex his affirmabis, vel quod imperfecta sit Tituli inscriptio, vel plurima, quæ Titulus complectitur, imperfectissima. Vide, num mea me fallat opinio. Fingas primum, ab Regulis, quas novum Jus induxit, antiquas non violari; & continere te minime poteris, quin jures, quod *Antiqui* ac *Novi* Juris distinctio frustra in scenam prodit; cum nullum in utroque discrimen observes. Si vero recentiores veteri-

 bus

1 *Quæ a Petro Fabro ... defenditur.*] In vestibulo commentarii hujus Tituli *De diversis Regulis Juris antiqui*.

bus Regulis opponantur; & qua ſerena fronte Tribonianus, abrogatis expulſiſque, per novas, hiſce Regulis antiquis hunc Titulum onerat; quas potius dediſcere opus erat, quam diſcere juvabat? Demum, ſi natæ novo Jure Regulæ antiquas non infringant, ſed aliquid in pinguiorem hujus Artis dotem addant, & Juriſprudentiæ penum augeant ac ditent; quis negligentiæ Tribonianum non accuſet, qui novas præteriit; &, uti veteres pro Digeſtorum coronide admiſit, ita recentiores, expleto Codice, in ejus calce non adjecit? Sat igitur ſuperque miſera verborum pompa in hoc Titulo ante oculos poſita eſt. Nec aliud a Triboniano ſperandum, hujus Tituli auctore. Is, ubi nihil de ſuo in aliis diſponendis Digeſtorum titulis edidit; 1 tamquam ab Edicto perpetuo puris ac putis, uti ſunt, mutuatis; licet non nimia inventionis laude ſuperbiat, moleſtæ tamen novarum vocum appoſitionis culpa caret. Ubi vero ſuas in medium affert tumultuarii ingenii divitias, non facile invenit, qui eas magni faciat: invenit potius, qui inanias illas ac araneas judicet contemnatque. Finierat Nautius; cui ſic ego: Mea certe in præſens me fallit expectatio; nam, priuſquam de hujus Tituli *Inſcriptione* ſermonem clauderes, aliquid a te ſuper illa voce *de Regulis* dicturum, credebam: quippe, ni me memoria deſerat, nonnullos legiſſe Scriptores recordor, quibus vox illa *de Regulis* non plene ſapiat ac probetur. Non me latet, inquit Nautius; ſed ab

1 *Tamquam ab Edicto perpetuo .... mutuatis;*) Ad Edicti perpetui imitationem totum Jus in certos titulos digeri voluit Imp. Juſtinianus L. 1. §. Cumque hæc materia, C. de Vet. jur. enuc. & alibi. Quare nihil de ſuo in aliis diſponendis Digeſtorum titulis edidit Tribonianus, præter titulos *de Verb.Signif. & de diver.Reg. Jur. antiq.* Nec veriſimile eſt, ut docti viri opinantur, Salvium Julianum, Edicti perpetui compilatorem, illos duos titulos, qui in Pandectis adſunt, in Opere ſuo locaſſe; ſed id unice effectum a Triboniano.

ab hac diſceptatione pro quadam animi docilitate abſtinui, ne plus nimio ſcrupulum viderer injicere; & quaſi in deliciis haberem, in ſcirpo nodum quærere. Tunc ego: Dic, oro: tu rebus etiam leviſſimis grandem animam infundis, & tuis dictis, numquam aridis & exſuccis, aures noſtras perfricas ſimul & mulces. Nihil moror, ait Nautius; & præ modeſtia ad acceptas laudes placide ſubridens, ſic rem dilucide expendit. Veteres Juriſconſulti in id præcipue incubuere, ut frequentius 1 per quædam *Axiomata* Jus tractarent, in argumentum ſummæ, qua pollebant, in hac Arte peritiæ: 2 nam ex Cujacii ſententia, Regulas & Definitiones tum rerum tum nominum in promtu ac numerato habere, ditiſſimam mentis arguit ſupellectilem; & meminiſſe ſe vir egregius fatetur, Theologos non alia de cauſſa præ cæteris extollere Damaſcenum, quam quod ejus Scripta uberrimis niteant *Definitionibus*. Et ſane Juriſconſulti, nedum in eorum operibus hæc *Axiomata*, ubi locus & ratio poſtulabat, interſerere; ſed in unum, veluti florum faſciculum, colligere, & quoddam ſelectioris doctrinæ corpus efformare, quam qui maxime ſtuduerunt. Hinc libri ex ipſorum diligentia prodiere, quibus varia appoſita eſt epigraphe. 3 Aliis placuit eos inſcribere

1 *Per quædam Axiomata*) Dicta ſunt etiam, *Receptæ ſententiæ*, *Catholica præcepta*, *Enunciata*, *Principia*, κύριαι δόξαι, ὅροι, στοιχεῖα, θέσεις, πορίσματα, *Aphoriſmi*, *Canones*, *Dogmata*.

2 *Nam ex Cujacii ſententia*,) Quam promit in Comment. ad lib. II.Quæſt. Papin. ſuper L.38. de Pactis; ubi inter Æmilii Papiniani dotes egregias illam enumerat, quod alios quoſcumque Juriſconſultos vir doctiſſimus ſuperet ob tot Juris Regulas, quas ingenioſe confecerat.

3 *Aliis placuit eos inſcribere* Regularum, *aliis* Definitionum.] Unus Papinianus, qui inſtar omnium eſt, [ut patet ex Albo Juriſconſultorum, quorum ſcriptis concinnatæ ſunt Pandectæ] libros duos exaravit,

ſcribere *Regularum*, aliis *Definitionum*. Si tantorum virorum auctoritatem ſpectas, neutram ex his Inſcriptionibus damnes, utramque commendes : nam, qui alterutram præferat, officioſus quibuſdam, aliis injurius evadit. Verum enimvero, ſi non exprobandi ſtudio, quod a me longe abeſt, ſed diſputationis gratia, quæ noſtros jucunde fovet congreſſus, judicium de alterutrius hujuſce vocis proprietate ac præſtantia ferendum eſt; non *Regulas* hæc juris Axiomata, ſed *Definitiones* appellandas exiſtimo. Quibus vincar rationibus, Amici, attendite: veſtra eſt optio, admittere, ſi ſolidæ ſint; ſi vero infirmæ, excludere. *Regula Juris* Jus non continet ; ſed normam, qua Jus aſſequimur; 1 mentem *regit* ad Jus recte percipiendum ; non Jus exponit ac explicat ; uti apud artifices, *Regula* opus dirigit, non pro ipſo opere ſumitur: ſpiritum gubernat, ut opus perfecte fiat; non operis imaginem aperit, & oculis ſubjicit. Contra vero *Definitio Juris* Jus complectitur, & in certos *fines* cogit, ſuiſque limitibus ac cancellis circumſcribit, & veluti in compendium redigit; ut, quod late patet ac diffunditur, brevi quodam gyro ſub aſpectum integre cadat, & nitide obverſetur. Verbo: *Regula* ſenſus acuit, ne in Jure perpendendo fallantur: *Definitio* memoriam relevat, ne mole nimia gravetur : Illa facem præfert, ut via tuto premi poſſit: iſta viam reddit breviorem, ut celerius to-

ta

vit, quibus titulum appoſuit *Definitionum*. Q. Mutius Scævola Græco vocabulo uſus eſt ὅρων. Reliqui vocem *Regularum* uſurparunt. Hac epigraphe Domitius Ulpianus libros edidit ſeptem; quindecim Neratius Priſcus; unum Sextus Pomponius; Cerbidius Scævola quatuor; ſeptem Julius Paullus, unum inſuper, & alterum deinde; Ælius Marcianus quinque; decem Herennius Modeſtinus; demum Licinius Rufinus duodecim.

1 *Mentem regit ad Jus recte percipiendum;*) Seneca epiſt. 11. Regulam eam eſſe oſtendit, ad quam examinentur, quæ recta ſunt; quæ prava, corrigantur.

ta percurratur. Ubi hæc, quæ refero, vera ſint ac perſpicua; potiore quidem merito Titulus hic vocem *Definitionum*, quam *Regularum* admittet: nam non præcepta, quibus ad Jus addiſcendum ducimur; ſed ipſum Jus ſtrictim & per epitomen exhibet, & vaſtos legum excurſus intra breves ambitus locat & concludit: non ſecus ac pictura, quæ implicita bellorum diſcrimina difficileſque exercituum labores exigua in tabula contrahit, & uno intuitu ſpectantium lumina paſcit, ac in ipſa rerum imaginaria formidine delectat. Sapienter, Nauti, & acute diſſeris, omnes exclamavimus; &, quantum periculi ſit in efformandis Operum *Inſcriptionibus*, ubi longa deſit meditatio, & peculiaris quædam non adhibeatur induſtria, communi calculo fatemur. Sed, quoniam hac in diſputatione verſamur, inquit T. Numicius, non abs re puto, Nauti, ut ea ipſa ingenii felicitate, qua nuper hujus Tituli *Inſcriptionem* ad trutinam revocaſti, 1 aliqua nunc de *Regulæ* definitione, quam ejuſdem Tituli Lex prima affert, exponas. Dubito, ipſemet addit Numicius, an in hoc Tituli veſtibulo recte appoſita ſit *Regulæ* definitio: eam, ut exiſtimo, 2 hoc loco ſitam non ferebat

 occa-

1 *Aliqua nunc de* Regulæ *definitione, quam ejuſdem Tituli Lex prima affert, exponas*) His verbis *Regulæ* definitio concepta eſt a Paullo lib. 16. ad Plautium. *Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat: non ut ex Regula Jus ſumatur; ſed ex Jure, quod eſt, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur: &, ut ait Sabinus, quaſi cauſſæ Conjectio eſt, quæ ſimul cum in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.*

2 *Hoc loco ſitam non ferebat occaſio*) Hinc eſt, quod legem hanc *fugitivam* ab hoc Titulo Cujacius prodidit: belle quidem ac ingenioſe. Contra ſentit Jacobus Gothofredus in Commentario hujus primæ Legis; ubi ſic ſcribit. *Fugitivam ſane, ut hinc incipiam, dici, ipſa diſciplinarum tradendarum ratio non patitur; quando* omnis

occasio; quippe Titulus non in hunc finem conceptus est, ut nos moneat, quo pacto Juris *Regulæ* effingi debeant: tunc sane indecorum non foret, Regulæ indolem ac naturam oculis subjicere; ne pro *Regulis* chimæras quis fingeret, ac monstra produceret. Sed Titulus *Regulas* jam exhibet statutas, seu potius, ut diximus, Legum imagines, in exiguum corpus redactas; ut, qui legant, eas intellectu percipiant, memoria retineant, in usum deducant; non ut de novo gignant, & ipsi earum fiant artifices ac conditores. Quis, ubi statuas affabre sculptas in publicum profert, artis regulas, quibus illæ perfectam accipiunt figuram, aut voce præconis explicat, aut scripta tabella designat? Respondet Nautius: Quamvis minutum hoc, quod refers, videatur; gratia non caret: neque adeo exiguum est atque mendicum, ut contradictionis subtilitas cum ipsa opinionis soliditate non conjungatnr. Sed hoc auctori hujus Tituli lubentius ignoscerem, si *Regulæ* definitionem, quam præter necessitatem dedit, dedisset saltem sine difficultate. Hæc *Regulæ* definitio, quod a plerisque laudetur, scio; quod proscindatur ab aliis, non ignoro. Qui laudant, nullo utuntur examine: qui proscindunt, aliquo non carent rationum momento. Obscura Rævardo videtur: mihi, ut aperte dicam, imperfecta. Quare illos non improbo, qui vel emendandam, vel supplendam vellent. *Regula est*, scribit Paullus ex Plautio, *quæ rem, quæ est, breviter enarrat*. Non placet hoc effatum. Ergone, ubi quis rem designat, explicat, enodat, statim *Regulam* fingit ac creat? Delirat, qui ita animatus sit. *Regula*, mea quidem sententia, instruit, præcipit, gubernat; non rerum

omnis, quæ ratione suscipitur, de re aliqua institutio, a definitione ejus proficisci debet: ut omittam & ipsas definitiones in Regularum censu recte stare. Verum ex hoc non eluditur difficultas, nec nodus solvitur. Hic enim non de *Regularum* formatione agitur, sed *Regulæ* jam constitutæ inseruntur.

rum notitiam adornat, & earum cognitionem nobilitat. Addas, quod non ipsa *res* [qui alter est in definitione nævus] sed rerum *modus*, seu qui dandus est rebus ordo, cognitioni lumen, ratiocinationibus norma, in *Regula* exponitur ac declaratur. Porro vox illa *Breviter* nimis solitaria est ac vidua: alia desideratur: alia foret supplenda, nempe, *Perspicue*. Brevitas enim Obscuritati consanguinea est: raro, quod contractum est, & angustis finibus conclusum, idem æque dilucidum est ac oculis patens. *Brevis esse laboro, obscurus fio*, cecinit Venusinus Poeticæ Præceptor. Placet potius Sabini formula, a Paullo etiam hoc loco relata, 1 quod *Regula sit, quasi causæ Conje-*

1 *Quod regula sit, quasi caussæ Conjectio*,) Pro quadam similitudine id ita scriptum est. Causæ Conjectio fiebat, ut ex Asconio, & Gellio notat Franciscus Duarenus *cap.* 46. *lib.* 1. *Disputation.*, cum olim litigatores ad Judicium accedebant; & antequam ageretur causa, rem quasi per indicem exponerent, inque brevem ambitum cogerent; ut Judicis animum ictu quodam percuterent, quæ causæ conjectio apud Athenienses προβολή dicta est, a pugilum ferme statu, ut attentum facerent Judicem, vel memorem eum dimitterent. Hæc ipsa causæ Conjectio videtur Petro Fabro a XII. Tabulis originem traxisse, quarum monumentum Pandectæ Florentinæ integrum sartumque servarunt, his verbis: *In Foro aut Comitio ante meridiem CAUSSAM CONICITO*. Bona tanti Interpretis venia, aperte dicam, verbum *Conjicere* co loci, non orationis compendium, quod huic proposito favet; sed præfinitum tempus, infra quod orationem quisque continere deberet, nec ultra protrahi, significare: ita sane, ut cœpta oratio non ultra meridiem, quo tempore Judicia silebant, poterat extendi. Græci loco *Conjectionis* legunt *Conjunctionum*; ait enim Auctor epitomes Basilicor, tit.3. lib. 2. cap.1., & post eum Constantinus Har-

Conjectio, quæ apud veteres pars illa orationis erat, qua Magistratui, antequam causa ageretur, brevi quodam indiee, litis imago proponebatur: *Regula* enim primo sub aspectu totum id, quod late in Legibus diffunditur, strictim & in unum *conjicit*; instar crystalli, quæ Solis radios sub uno puncto legit conjungitque, ut acrius feriant & celerius incendant. Ultra progredior; & aut meam ipse inscitiam, aut aliud in definitione vitium nequeo dissimulare: quæ enim, veluti in explicationem, hic cumulantur verba, illa nempe, *Non ut ex Regula Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat*, pectus agitant ac conturbant. Et sane, quid hæc verba sibi velint, intelligo: quod opportune usurpentur, fateor: sed, quo pacto cum ipsius Tituli instituto cohæreant, plane non video. Ergone ex his Regulis, quas Titulus excipit, *Jus non sumitur?* Falsum hoc. Quis qui eas perlegat, Jus undique sparsum non deprehendit ac colligit? Hic, quod ad statum hominum, quod ad testatam sive intestatam successionem, ad dominium quærendum, ad servandam possessionem, ad obligationes sive contrahendas sive dissolvendas, ad doli seu culpæ pœnas, quod demum ad alia quæcumque, quæ ex statuto Jure fluunt, pertinet ac refertur, uno quodam fasciculo collectum, lectoribus exhibetur. Quilibet igitur, qui hæc omnia sine animi præoccupatione perpendat, rectam prædicet definitionem; sed ea, quæ hoc Titulo tractantur, definitioni minime respondere fatebitur. Hæc Nautii dicta plausu excepimus; & pro hujus disquisitionis coronide, eum rogamus, dicat, quid

sentiat

Harmenopulus lib. V. Epitomes: κανὼν ἐςὶ σύντομος πράγματος ἀφήγησις, καὶ σύνδεσμος, idest, *Regula est brevis rerum narratio, & conjunctio.* Sed recte Petrus Faber, & post eum Jacobus Gothofredus putant, locum hunc talem interpretationem admittere non posse; alioqui hæ duæ voces *Quasi*, & *Caussæ* frustra a Jurisconsulto essent adpositæ.

ſentiat de clauſula illa, poſtremo loco definitioni addita, nempe, *Regula, quæ in aliquo vitiatur, perdit officium ſuum*. Hoc expectabam, inquit Nautius; neque ab hoc munere, licet irrequiſitus, abſtinuiſſem. Iſthæc igitur clauſula, quo veritati favet magis, eo deſtruit magis *Regulas*, quas Titulus continet: damnat, quod poſtea amplectitur: defectus, quos ſtudet profligare, admittere non erubeſcit. An non *Regulæ* fere omnes, hoc Titulo collectæ, in aliquo non vitiantur, & ſuis non deluduntur exceptionibus? Res, plus eo, quod opus ſit, ex ſe ipſa innoteſcit. Vident cuncti, cuncti non negant. Huic morbo medelam afferre conati ſunt plurimi, inter quos Cujacius, 1 qui in unaquaque ſubintellectum volunt adverbium *Plerumque*: quaſi *Regula*, quod uſu frequentius eſt, complectatur; minus curet, quæ raro eveniunt. Suavis eſt Accurſius, &, inſtar militis glorioſi, quo habitu perſonatus non raro incedit, nimium ſibi fidens jactat, exemplis *Regularum* per ipſum allatis omnes excludi exceptiones, & intermortuas jacere autumat. Somnia. Petrus Faber fallaciam retegit; & ſolide docet, ea, quæ Accurſius enumerat, *ſpecialia* eſſe, non *generalia*. Scimus, quod *Periculoſa eſt in Jure omnis definitio*, 2 ut alia hujuſce Tituli Lex monet. Quamobrem cum Artis medicæ regulis Juris regulas recte comparo. Pari ſorte illæ & iſtæ jactantur; & uno nequeunt ſtatu conſiſtere: valent plerumque, con-

1 *Qui in unaquaque ſubintellectum volunt adverbium* Plerumque) Cujacius in Comm. lib. III. Reſponſ. Papin. ad L. 68. de Procur. ſcribit: *Regulæ juris conſtituuntur ex iis, quæ fiunt* PLERUMQUE, ἐπὶ τὸ πλεῖστον.

2 *Ut alia hujuſce Tituli lex monet*) Nempe Lex 202. & ad rem Cujacius in Comm. lib. 1. Defin. Æmil. Papin. ad L. 1. D. de Legibus: *Nulla eſt*, inquit, *Regula in Jure civili perpetua: nulla, quæ non aliquando vitiari, labefactari, & ſubverti poſſit: quia jus conſtituitur de ſingulis rebus, ſive cauſſis; & ſingularum cauſſarum nulla eſt notio, ſeu definitio certa, ut ait Ariſtoteles*.

concidunt aliquando; &, uti variat occasio, aspectu variantur. Infinita quidem est non minus in Jure, quam in morbis disputatio: utraque certis concludi limitibus nequit, generalibus vero potest sententiis juvari: Regulis mens conjungenda: si illæ deficiant, hæc supplet: si abundent illæ, ista adimit; si rigidæ sint illæ, hæc moderatur: illæ demum si non plene loquantur, hæc explicat ac interpretatur. Humanæ imbecillitatis est, omnia non posse complecti; consummatæ sapientiæ, maxima quæque summatim colligere; nimii ac exosi laboris, singula partite ac minutim distinguere. His animadversis, prævaricatione laborat hæc clausula: vera est, sed nocet: admonet, quod rectum est, sed insequentium regularum vulnera detegit. Certe, ut opinor, prudentius apponenda esset, & opportunis explicationibus moderanda; ut, suo incolumi decore, suppetias afferret alterius ruinæ. Dum hæc tam docte ac eleganter Nautius differebat, pulsato ære, quod meridiem adventasse significabat, pergimus ad paratam mensam; & seriis colloquiis jocos ac lusus substituimus, quibus, ut prandium proficeret magis, suavissime indulgemus.

Postera die effusa destitit pluvia: sed dubia adhuc cæli facies incertos in capiendo consilio nos tenuit, an e tecto discedere liceret. Erat inter nos, qui delicatulos timidosque socios argueret; quasi levis imber, qui metui posset, ita sanitati officeret, ut domi cautos morari cogeret, & deambulationis voluptatem vana suscipiendi morbi formidine interdiceret. Dum hac in re ancipites hærebamus, ad nos salutandos adveniunt hujus insulæ duo lectissimi adolescentes, Gn. Flavius, & C. Anicius, honesto loco nati, & suavissimis moribus præditi; ut ex corporis habitu, ex oris modestia abunde cognovimus. Nova isthæc occasio discedendi certamen, ipsumque discessum inhibuit; &, quod aliunde quærendum erat, insperatus horum adolescentium adventus præbuit solatium. Una consedimus, & confabulando tempus jucunde fallere cœpimus. Inde, ut alia animos levaret amœna

occu-

occupatio, Gn. Flavius M. Vitellium 1 ad Latrunculorum ludum invitat. Cunctis hoc arrisit: nam, uti in alio quovis ludorum genere multum sibi fatua vindicat fortuna, quæ invidiam parit, in isto splendide triumphat ingenii acumen, quod admirationem ingerit; &, nedum qui ludo vacant, sed qui circum spectant, delectari non parum solent. Illi sagaci industria: isti avida expectatione agitantur: nunc invicem periculum timent: nunc prospero eventu gaudent: nunc casum quavis diligentia feliciorem vident: nunc irritam spem dolent: nunc inopinam plenamque stupent ac concinunt victoriam. Jam tabula lusoria affertur, suis areolis distincta; afferuntur jam 2 calculi versicolores: ludus instituitur: umbratili prælio

1 *Ad Latrunculorum ludum invitat:*) Ita dictus hic ludus a *Latronibus*, qui erant milites mercede conducti, uti Servius Æneid. XII. 7. & Festus docent. Plautus vero ita habet. Mil. I. 1. 75.

Nam Rex Seleucus me
opere oravit maximo,
Ut sibi Latrones cogerem
& conscriberem.

Ludi genus est antiquissimum, ad belli imaginem institutum; & vel a Pyrrho inventum, ut scribit Donatus; vel ab Attalo Asiatico, ut Chilo; vel a Palamede Nauplii filio, ut in obsidione Trojana milites in officio contineret; de quo Pausanias hæc commemorat Corinth. p.62. *Supra Nemei Jovis Fortuna Fanum est perantiquum, in quo inventas a se tesseras Palamedes dedicavit.*

2 *Calculi versicolores.*] Nempe *bicolores*. Sidonius epist. VIII. 12. *Hic tabula calculis strata bicoloribus*; Ovidius Trist. 11. 477.

Discolor ut recto grasfetur limite miles,
Cum medius gemino
calculus hoste perit.

Pollux IX. 7. *Cum calculi in duas partes divisi sint secundum colores; ars ludi in eo est, ut duo ejusdem coloris calculi hostem contrarii coloris circumveniant & tollant*. Diversus color erat, hinc *albus*, hinc *niger*. Auctor Pöematii ad Pison. num. 182. *Ut*

prælio se accingunt Flavius & Vitellius. Nos veluti in coronam taciti ac vigiles adstamus. Uterque jam turmis munitur: alter alteri hostis induit imaginem, semota interim amicitia; & simulata acie vicissim congrediuntur; dataque unicuique calculo statione, prædam meditantur: & sibi, quantum per dolum aut virtutem licet, maxime cavent. Pulcrum visu erat, suspensos præliantium vultus, & nutantes in removendis, iterumque locandis calculis manus aspicere; & animi affectus, quos unice ludus detegit, per fluctuantes oculorum excursus internoscere. Flavius, ut erat juvenili calore percitus, nunc inter dubias cogitationes pallescere; nunc inter delusa consilia irasci; nunc ob improvisi casus beneficium lætari; aliquando, impatientia quadam perculsus, ipsos pene calculos humi dejicere; aliquando dexteritatis suæ superbia sese in sui laudem effundere. Contra, Vitellius, placida sedataque indole, & ad sapientem tarditatem factus, lento quodam subrisu omnia accipere; æquo animo, adversam prosperamque sortem intueri; & serena fronte Flavium identidem monere, ut compesceret seu nimiam lætitiam, in luctum facile convertendam; sive iram, facile transituram in gaudium; cum ludi conditio non ingrata vicessitudine in alterutram inclinare partem soleat plerumque. Inter ludendum, ne suus eruditioni deesset locus, 1 disputatum est, an hic, qui ætate nostra viget ludus, idem habendus, ac ille qui apud veteres fuerat. Nega-

Ut niveus nigros, nunc
& niger alliget albos.
Item Petronius. Aliquando pro *nigris* componebantur *rubei* cum *albis*. Epigramma vetus:
Discolor ancipiti sub jactu calculus adstat;
Decertantque simul candidus *atque* rubens.

1 *Disputatum est, an hic, qui ætate nostra &c.*) Late Sotuer de Aleat. l. 8. Meurs. Glos. Græco-Barb. Calcagn. de Calcul. Buleng. de Lud. Vet. c. 55. Hunc ludum elegantissime descripsit Hieronymus Vida peculiari Pōemate, cui nomen *Scacchia*.

Negabant quidam : alii affirmabant, saniore forsan conjectura : nam lineæ in tabula lusoria similes, licet non pares ; concors progrediendi tenor ac ordo ; discolor in præsens calculis, qualis antea a priscis inditus, apparatus ; eadem disposita loca ; & ratio in servandis legibus non prorsus contraria. Redditus quidem est hic ludus nostris temporibus, deposita primæva rusticitate, cultior elegantiorque, novis quibusdam inventis, quorum ferax est ingenium, ubi per ocium non ingratis vacat meditationibus. Duplex hora ludendo insumta est : postea cessatum. Flavius & Anicius ad discessum, sumto pileo ac baculo, parantur. Sed urbanissime a Vitellio his amantissimis verbis retinentur : Nobiscum una, inquit, dilecti hospites, ad mensam, quæ præsto est, sedebitis : & licet ea pro meo modulo parca sit ac frugalis ; non tamen ita macra & paupercula, ut, præter consuetum numerum, alios duos (modo sint parvo contenti, ut vos estis) non possit admittere. Adolescentes non recusant ; & prandium, novis additis convivis, uti commoda singulis non minuit, ita acceptius reddidit consortium. Expleto prandio, quoniam L. Pinarius alterum, quem rogatus promiserat, *Sermonem* carmine ornaverat de quodam caussarum Patrono, cui nihil ex aliorum penu, quodvis tamen natum cerebro suo, suoque in pectore concoctum, probatur ac diligitur. En, inquit, recito vobis, Amici, quos a me postulastis, versiculos, si Diis placet, non infacetos ; & plurimum gaudeo, recitationi interesse Flavium, ac Anicium, quibus pöeticos lusus ingratos non fore prænosco. Benigne ac fuse isti grates reddunt ; & una cum aliis ad Carmen, sale multo asperfum ac perfricatum curiosas aures accomodant.

Non alium vidi, nec vos vidistis, Amici,
Omnia spernentem, detractoremque alienæ
Virtutis, nimiumque sui, immodiceque tumentis
Ingenii laudatorem, quam Nævius ille est :
Ille, inquam, eximius Censor, rerumque supremus
Dicta-

Dictator, recti Interpres, atque Arbiter æqui.
Ohe! Vir quantus! quo nostra refulgeat ætas:
Præteritæ caruere, carebunt inde futuræ.
Hic igitur tam ingens, tamque admirabilis Heros
Mente diu volvit, cui sese addiceret Arti:
Nam vastis animæ grandis conceptibus omne
Obscurum, aut tenue, aut fatuum, aut ignobile visum est.
O Magnorum operum gravida expectatio! Sed quid?
Jam timeo, ne, quæ vento est tumefacta, cadat spes;
Atque umbras solido pro corpore captet inanes.
Sed videamus, ubi statuat sibi figere sedem;
Et qua, fronte minax, spatiari affectet arena.
En jam compertum est. Datur hæc tibi gloria, felix
Curia, ut hoc fieres tanto Oratore superba;
Atque tuum nomen, laudesque perennius irent
Ad fines Mundi, ad longinquam posteritatem.
Ecce Forum amplecti cupit, & defendere caussas,
Et dare consilium, & turbam numerare clientum.
Contemnit veterum studia; & Majoribus olim
Calcata ingenti cura vestigia spernit.
Nil didicit, nil discere vult: sapientiam in ipso
Et natam, & cum ipso perituram existimat. Olli
Sat Compendiolum; sat rerum parvulus Index,
Curtæ notitiæ, perpauca vocabula Juris;
Et notæ quædam normæ, & generalia dicta,
Non collecta libris, sed pene accepta per aures:
Fastidit legere, atque audire fugaciter optat.
Cæterum, amore olidas, queis plena est fabula, nugas,
Ficta odia, affectus fictos, fictosque triumphos,
Corruptis lenociniis, dulcedine falsa
Imbutos, fractisque animis & mollibus aptos,
Valde in deliciis habet: isthæc devorat: omnem
Ponit in his curam: & tanta hæc deliria gustat;
Queis alios superare putat, queis tangere cœlum
Jactat, divitiasque omnes adquirere credit.
I, fidas huic ingenio; placideque quiescas
Consiliis hominis tanti. Jam tutus ab omni

Eventu,

Eventu, quacumque negotia faustius ire,
Et numquam falli pregrandia vota videbis.
Quantum ad me: pluris facio, qui mente subacta
Pollet; nec torto cursu, nec præcipiti se
Tramite fert; & sit vel pauper villicus, aut qui
Conductos humeros vili mercede fatigat.
Non me vana juvat non torva superbia; non me
Spiritus indocilis, proprioque accensus amore,
Oblectat; nec frons, a qua pudor exulat omnis.
Ah! miser, ah! nescit, quam care constet, in ampla
Ac Legum immenso sapientem evadere regno.
Non summis labris, non primo attingitur haustu
Scientia difficilis: non parvo tempore, paucis
Nec dextra attritis libris, prudentia nostros
Emendat moderatque animos. Obstacula mille,
Mille quidem curis, & mille ingentibus ausis,
Sunt superanda, quibus circum mens undique septa est.
Mens præjudiciis, mens est erroribus acta:
Nunc fervet, nunc languet iners: nunc hæsitat, & nunc
Labitur in præceps: odio nunc pallet: amore
Nunc rapitur; nunc spe, nunc est formidine pressa.
Hi varii affectus varia sub imagine nobis
Res pingunt. Quare nostro vix fidere posse
Cogimur ingenio. Tunc norma aliunde petenda est:
Tunc primum Leges opus est cognoscere, & inde
Sunt consultandi, qui Legibus addere lumen
Conantur, quorum commendat opinio nomen,
Et laudata viget consensu fama perenni.
Qui contra faxit, concludit retibus auras;
Umbris dat corpus; pro veris somnia adoptat.
Non hoc non equidem tantus vir pensitat. Unus
Ipse sibi placet; atque alios sectarier urget,
Quos sibi componit laxa sub pectore mores.
Semper hic est, quacumque hora, quocumque loco vis,
Ad largos potus, lauta ad convivia promtus:
Et bibit immodice, & ventrem immoderatius implet,
Totus in ore rubens, & plenus odore culinæ:

 Prom-

Promtus & ad totas vigilandas præpete ludo
Hibernas noctes, patrimonia direpturus,
Parta labore levi, leviore labore ruenda:
Assuetus bene cincinnatus, adesse theatris;
Judex spectacli, & gestus, & vocis, & artis;
Ad plausus, ritu populari, ad sibila dexter:
Assuetus pariter lustrare frequentius ædes,
Hic ubi congressum pulcræ nitidæque puellæ
Colloquio exhilarant, & dulcia pabula sumit
Officiosus amor; fallunt ubi scommata tempus,
Mixta joco ac risu, tacitum retegentibus ignem.
Sed noster, quo se distinguat, Nævius, affert
Mille leves nugas, indoctas perfricat aures:
Explicat in Physicis, quod nunquam noverat: ut vult,
E cerebro præcepta suo moralia dictat:
Atque Politiæ quasi redditus arbiter, Orbis
Dividit imperia; & pacis bellique gubernans
Ancipites sortes, disceptat publica Jura:
Judicioque suo nunc hic, nunc spernitur ille
Egregius Scriptor, non ipso cortice notus,
Nec bene vel titulo, vel nomine forte citatus;
Ut sibi fœmineum ficta hæc sapientia pectus
Conciliet; preciumque hæc impostura ministret,
Quo redimi possit dilecti gratia vultus.
Hem, famosus homo! atque omni extollendus in ævo,
Pectore qui tali fruitur, tali indole! Cuinam
Est data sors melior, cui vita beatior? Astra,
Hunc servate diu, fauste excurrentibus annis.
Porro, quam suave est, hunc ipsum audire loquentem.
Siquis consilium petat; imperterritus iste,
Nil meditans, nil perpendens, & prima rogantis
Verba interrumpens, inquit: Scio: Desine: Cuncta
Jam teneo: Ne plura: Sat est. Respondeo paucis:
Accipe: Nil in re dubii est: Ita sentio: Salve.
Quisnam non mirabitur hæc? Tolerare necesse est;
Atque juvat vultu mentito fingere; quamvis
Bile tumet jecur, & præcordia felle redundant.
Si mutire velis aliquid, turbatur: Et, aures

Non

Non mihi deficiunt, addit: mens omnia primo
Percipit obtutu; nostrum non prorsus aberrat
Judicium: quamque ipse fero, sententia tuta est.
Nec replicare potes: Quaeso, maturius istam
Rem pendas, Naevi: nam pugnat opinio discors
Doctorum: pugnant Leges: pugnant etiam quae
In simili casu statuit decreta Tribunal.
Ridet. Te insulsum vocat, ingeniique pusilli.
Quid mihi Jus, ait, & Leges, & scita Senatus
Scriptoresque opponis: in his non immoror: horum
Vilis turba mihi, & contemtu digna videtur.
Hi quid agunt? Nodos cumulant: mysteria fingunt:
Res dubiis onerant: inter se praelia miscent.
His tricis inimicus ego: fastidia tanta,
Quae tacite rodunt animam, rabiemque per ossa
Acriter accendunt, fugio. Tribus omnia verbis
Expedio facilis: naturae lumine, siquid
Incidit obscurum, breviter nitideque resolvo:
Compono magnas nullo discrimine lites;
Atque gravi per me relevantur jurgia damno.
Insudent, vigilent, scribant, nec scribere cessent
Immodice, quicumque velint; & crescat acervus
Librorum, ut crescunt, austris ululantibus, imbres:
Non hos, non illos, peperit quos longa vetustas,
Curo. Alios teneat crucietque haec vana libido,
Pauperie ingenii miseros, & acumine mentis
Omnino exutos, solum ad servilia natos.
Non ego, non istis ambagibus intellectum,
Pace quiescentem, torquebo; non ego tristi
Tot pervolvendi libros tentigine rumpar.
Quid? Celsus, Labeo, Jabolenus, Scaevola, Paullus,
Esse mihi debent tanti; ut, quasi fungus, ad istos
Confugiam; & pauper mentis, crassaque minerva
Praeditus, omnia, quae dictant, oracula credam?
Si sapere hi poterant; sapere & nos possumus. Impar
Non est conditio, non est diversa propago.
Cur nam servus ego? Cur hi dominentur? Habentne
Particulam divinae aurae, profusius ipsis

Concessam, dono Superûm; mihi forte negatam?
Cur tantum imperium, tam jurisdictio lata
Illorum ingenio, tanquam e cælestibus orto
Sponte datur? Nobis, terrenæ fæcis, abactum
Quodlibet arbitrium, tota interdicta facultas?
Hos colere, hos etiam laudare, hos tollere ad astra
Debemus; nos ignava obmutescere lingua?
Quæso, frangamus tot vincula; tamque pudendum
Excutiamus onus: noscamus, qui sumus; & quam
Libertatem animi natura cuique paravit.
O quam magnifica & phalerata oratio! Miles
Turgidus in verbis, opera demortuus, anne
In scenis streperet melioribus ebrius armis?
Aut æger, febri accensus, per somnia vana
Tam perturbata toleraret imagine noctes?
Forte erat huic similis, stomachi vitio labefactus;
Arte nihil medica fisus; contemtor & omnis
Consilii; cerebroque suo atque audace superbus
Judicio; qui pro libitu reparare salutem
Futilis instabat, tamquam Æsculapius esset,
Qui vere stipes poterat, seu fungus haberi:
Lectos ille cibos, & congrua pharmaca morbo,
Atque opportunas fibris languentibus herbas
Spernebat; parvi pendens, quod comprobat usus,
Et quod firmatis docet experientia rebus.
Quod sapit, illud edit: præfert agrestia poma,
Atque acida inquirit, corrupto grata palato,
Fercula, quassato nimis ipsa nocentia ventri;
Nescius in mediis sua damna timere periclis.
Hæc eadem nostri est placide insipientis imago.
Ergo, judicio tanti irrisoris inepti,
Abdite vos tenebris, & humi submittite frontem,
Olim tam fausta populorum voce superbam,
O veterum Heroum clarissima Lumina; & illud
Tam grande obsequium, quod longa ætate tulistis,
Lugete extinctum: namque in ludibria versum est.
Quid vobis prosunt macieque ac tabe perosa

Conci-

Concisi vultus, gravidumque ex hydrope pectus,
Et delassata tanto sub pondere vires;
Si vestrum merito frustratur nomen honore,
Vester in hoc, eheu! labor est inglorius aevo.
Bibliopola, fores claudas. Jam nullius usus
Sunt, quos conquiris varia e regione libellos.
Jacturam pretii facturus: inutile fiet
Subsidium, quidquid virtuti nata fovendae
Ingenia in medium plausu constante dederunt;
Corrosae tineis; & edaci pulvere tectae
Languebunt nullo dignae lectore papyri.
Et tu sume animos, gens pigra; atque otio abundans,
Dedita vel ludo, vel amoribus. Ecce, labori
Non altra locus est: curas fuge; nec tua prorsus
Pectora sollicitent Codex, Digesta, Novellae,
Quaeque enodando tot Commentaria Juri
Mole sub immensa Scriptorum industria cudit.
Horum nunc regnat contemtus: inertia largos
Spondet progressus, & pandit honoribus amplum,
Atque triumphalem, nullo clausum obice, campum.
Fit Sapiens, & fit Jurisconsultus abunde
Mente sua quisquis. Non praeceptoribus ullis,
Non multis, vitam cruciantibus, indiget annis.
O bona sors, si fata sinant! O temporum amica
Raraque prosperitas; eademque incognita nostris
Multum delusis Patribus! Felicius inde,
Et meliore quidem procedent omnia cursu,
Hisce sub auspiciis. Sine pixide navita posthac
Oceani fluctus percurret. Praelia miles
Suscipiet sine lege, sine ordine. Cultor agrorum
Et messem & fruges magno cum foenore speret,
Ignarus, quo mense seri; quo tempore findi;
Qua demum arte coli tellus debebit in anno.
Quae misera est isthaec rerum conversio! Quantum
A recto distamus! Ubi mos priscus! Et illa
Semita virtutis, nulli, nisi pervia doctis!
O victor cerebri furor! O insania felix!
O ratio insipiens! O fortunata phrenesis!

Vera narras, Pinari, & summo lepore exornas, inquiunt Flavius, & Anicius. In quam sententiam nos quoque descendimus; & unanimi voto delicatulas veneres, salesque argutos, in carmine decenter ac ingenue sparsos, laudavimus. Arrisit veritas, non tetro asperoque vultu incedens, quæ vulnerat, & ingrate accipitur; sed faceto lepore, & amœna dicacitate conjuncta, quæ allicit, & blandule suaviterque in animos illabitur. Ad hæc, C. Nautius continere se minime potuit, quin hæc præsenti animo effunderet. Habes, Pinari, in Sermonibus tuis, quos curiosa aure accepimus, virtutes omnes, quibus præcipui inter Latinos nobilitantur Satyrici: vitia fugis omnia, quibus illi coinquinantur. 1 Acre *Lucilii* judicium sequeris; 2 humilitatem, qua languide jacet, aspernaris. 3 *Venusini* salsum, & in risum semper proclive dicendi genus valde amas; sed nimiam numerorum negligentiam, quæ nescio quid tenue ac demissum sapit, caute vitas. 4 Magnificum *Persii* stilum aliquando imi-

1 *Acre* Lucilii *judicium sequeris*) Politianus in Prælectionibus ad Persium ait: *Acerrimi Pöeta ingenii, miræque eruditionis atque urbanitatis, Lucilius*. Et Macrob. lib. II. Saturnal. cap. 12. *Lucilius acer & violentus Pöeta*.

2 *Humilitatem, qua languide jacet, aspernaris.*] Turnebus in Advers. *Lucilius in Satyris interdu se ad humilitatem Jamborum demittebat*. Et Horatius Flaccus, illum lutulentum vocat, & in scribendis carminibus incompositum.

3 Venusini *salsum &c. sed nimiam numerorum negligentiam, &c.*] Cæsar Scaliger Pöetic. 6. cap. 6. *Horatius est irrisor: & ob id SERMONUM titulo contentus fuit: qui, modo sententiæ lacertos ostendat sermone vulgato, sed lecto tamen; parum curat numeros: & denique, modo pure diceret, nihil pensi habuit*.

4 *Magnificum* Persii *stilum aliquando imitaris*;] Gerardus Joan. Vossius lib. VI. Instit. Orator. scribit: *Ignoscendum Persio Satyrico, quod*

imitaris : 1 obscuram involutamque scribendi rationem abhorres . 2 *Juvenalis* fluidum , sententiarumque plenum , carminum decorem amplecteris ; 3 crudum nauseantemque genium , & omnia veluti indignantem ; respuis ac excludis . Pinarius , submisso , ac composito in modestiam vultu , gratias reddidit ; & , laudes sibi non ex merito dari , sed ex amicorum benevolentia testatur . Et jam , Sole ad occasum inclinante , hospites , salute invicem data ac accepta , discedunt . Tunc mutatum in melius cæli aspectum cognovimus .

quod crebris & audacioribus utatur translationibus : nam, uti animus, ita dictio nobilissimi juvenis grandia tantum spirabat .

1 *Obscuram involutamque scribendi rationem abhorres .*) Lil. Gyrald. hæc de Persii libro scribit : *Qui liber , etsi obscuritate, & reconditis sensibus est plerumque refertus ; nihilominus bonis est annumerandus auctoribus .* Et in Scalig.II. *Persius , miserrimus auctor , obscuritati studet : non pulcra habet , sed in eum pulcherrima possumus scribere .*

2 Juvenalis *fluidum,&c.*] In Actis Eruditorum an.1686 *Profecto sermo Juvenalis longe omnium est latinissimus , & purior , quam Horatii : numeri etiam rotundi , concinni , & Horatianis multo exactiores : sententiæ denique creberrimæ, & ad stuporem usque ingeniosæ : ut nihil dicamus de argumentorum nobilitate ac varietate ; quæ tanta ingenii judiciique dexteritate tractavit ; ut affirmare nihil vereatur Lubinus , qui Satyras Juvenalis omnes prosaria ecphrasi reddidit , in una Juvenalis Satyra plus doctrinæ ac sapientiæ ad vitam moresque regendos contineri ; quam in X. Aristotelis ad filium libris .*

3 *Crudum nauseantemque genium &c.*) Vavass.de ludicr. dict. *Sed ne fiat longius non necessario ; sic distinguemus : Horatium placide & leniter influentem in animos ; suadere ridendo : subsannantem Persium philosophari velle : Juvenalem , quasi crudum & nauseantem indignari omnia .*

Scintillans in äere rubor, quavis nube spoliatus; & frigida, quæ leniter obstrepebat, aura, serenum spondebat crastinum diem. Quamobrem Vitellius, nostris voluptatibus impigre studens, hunc ipsum insequentem diem novo oblectamento destinat; ad visendam nempe Pomponii vineam, per id tempus curandæ vindemiæ paratam: statuitque, ut, ferculis partim ab ipso afferendis, partim de suo laute conferendis per ipsum Pomponium, ab hac liberalitate numquam alienum, læta ibi ac concinna mensa instruatur. Ita convenimus: ita exequimur. Vix orta diei luce nitida ac pura, uti prævidimus, ad vineam Pomponii pergimus. Illuc, brevi itinere, nec multo fastidio perducti, ingredimur; & omni benevolentiæ significatione a viro bene morato excipimur. Erat vinea ingredientium luminibus tota in theatri speciem objecta; non æquo tamen solo posita. Hic aliquantulum plana; illic leniter declivis; alibi in humilem collem assurgens; ea naturæ elegantia, ut dispar situs integrum prædii non negaret aspectum; & varietate sua ingenuam quamdam augeret pulcritudinem. Pampineæ circum, nec insuavi ordine consitæ, flavescebant vites, uvis gravidæ, quarum ditissimo pondere in tellurem propendebant: rarum ibi arbustum; ut, quantum opus erat, poma solerti domino sufficeret; &, quanto minus poterat, Solis beneficio uvas fraudaret. Nos interea lento gradu deambulantes dulcissimum exhilarat spectaculum. Plurima hic rustico labori accincta aderat pubes: 1 incompositus

1 *Incompositus inter præruptas voces, ac sibilantes risus clamor,*) Vel ex Hebræorum ætate *clamandi* mos inter vindemiatores, quo invicem ad laborem cum lætitia exhortabantur, invaluit. Isaiæ cap. XVI. 10. *Aufertur lætitia & exultatio de Carmelo; & in vineis non exultabit, neque jubilabit. Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat; vocem calcantium abstuli.* Jerem. cap. XLVIII. 33. *Ablata est lætitia & exultatio*

ſitus intèr præruptas voces, ac ſibilantes riſus clamor, ſono, feliciter ac jocoſe per valles & cacumina repercuſſo, obmurmurabat. Curas ſuſcipiebat alacriter unuſquiſque, ne ſuo deeſſet miniſterio. Hic multo ſudore madidus æſtuat: hic nudato pectore ac brachiis ſpiritum, parumper ſedens, captat: pars ſcalas adhibet: pars uvas decerpit: alii fiſcinas illis opplent: alii traducunt. Hinc præla & torcularia obſtrepunt, & tacito muſtus profluit ſuſurro: illinc fumantia fervent ac ebulliunt dolia, & odoras benefico afflatu reddunt auras circum diſcurrentes. Agreſti juventæ, in lætitiam accenſæ, nos quoque pars adjungimur; & in eoſdem mores deſcendere, gravitatem omnem pene obliti, non recuſamus. Nos etiam permixti cum vindemiatoribus inconſiderate clamamus; &, ignari, qua cauſa, qua occaſione, nos etiam turmatim ac fatue ridemus. Villici, pro non ignota vindemiarum indole, aculeatis dictis non parcebant: non eo tamen licentia excurrebat, ut, in ipſa loquendi libertate verecundus quidam timor, non tam modeſtiæ ſtimulo, quam præſentia noſtra excitatus, internoſci non poſſet. Vacabant huic muneri puellæ nonnullæ; quæ, ubi nos vident, depoſita fœminea mobilitate; quam ætas & occaſio præſens ferebat; in ſerium habitum, ab ipſis mentito vultu ſuſceptum, ut omnes opinabamur, ſeſe componunt. Aliæ humi pudibundæ lumina convertunt: aliæ, verſis humeris, angunt

tatio de Carmelo, & de terra Moab; & vinum de torculari ſubſtuli: nequaquam calcator uvæ ſolitum CELEUMA cantabit. Ubi notandum, CELEUMA pro læto quodam clamore ſumi, quo nautæ ad remigandum, milites ad præliandum invicem impelluntur. In ſacris tamen Litteris jubilatio eſt calcantium uvas ad muſtum exprimendum Voces autem, quibus clamor incaleſcebat apud Hebræos vindemiatores, erant, *hedad*, *hedad*: unde formatum eſt, *hebt*, *heth*: quæ loquendi phraſis perinde valet, ac *alacriter*; ut Auguſtinus Calmet animadvertit.

gunt aufugere : quædam conantur latitare : quædam partes suas affectato quodam conatu implere : omnes tamen clam ac subdole in nos intentæ, ea industria, ut cupiant tunc magis videri, cum, ne videantur, per fraudem student. Nos illis rusticitatem objurgamus : favent querelis nostris Villici; qui eas monent, minus agrestes, plus erga nos officiosas obsequentesque sese gerere debere. Ad hæc, statim illæ, mutato consilio, ut volebant, ad hilaritatem se convertunt. Rogatæ accedunt; salutant; subrident; ad interrogata respondent. Interea placuit, partim ex sermone, partim ex oculis, partim ex reliquo corporis aspectu, harum mores quadam dexteritate cognoscere, nomina distinguere, indolem pertentare. Quinque erant adolescentulæ; quibus dispar ætas; nec decimo sexto minor in tenellulis; nec anno quinto supra vicesimum major in adultioribus. Omnibus non idem spiritus; alacrior aliis, aliis remissior: æqua tamen in singulis insons quædam calliditas; in his præ animi facilitate apertior, in illis præ timore occultior. Una ex his, cui nomen, Flaviola, brevi statura, colore subfusco, oculis ardentibus, argutula verbis, in æquivocis mire edocta visa est; & ad tacendum & ad respondendum promta; ubi adstantes velit vel silentio irritare, vel responso eludere. Altera, quæ vocatur Hiacynthula, gracili corpore, procero habitu, nigra coma, ore candido ac delicatulo, parum loquax labiis, multum oculorum nictu, & gestu non insuavi; pauca refert, eo gratiora, quo plura desideres. Tertia, quam Galateam appellabant, lepida ac operosa : multa scire cupit, quæ simulat nescire: negat intelligere, quæ probe tenet: fallaciis utitur, ut moras nectat, & hisce tricis solatium capiat. Quæ inde sequitur, Phyllis nomine, facilis ac obsequens, non sponte, sed quæsita; eo pulcrior, quo sui neglectior; nec importune silet, nec effuse loquitur; laudari tacite gaudet, palam dedignatur; grates reddit, potius vultus rubore, quam verborum ambitu, quibus est impar. Amaryllis postrema, impatiens ac pene insociabilis, formæ culpa, quæ nullum ei meritum conciliat; monstrat,

valde

valde hoc nostro irasci congressu ac sermone: & quasi inutilis moræ pertæsa, tempus operi subtrahi dolet; & mussitans objicit, nos otio abundare, tamquam meliore fortuna enutritos; ipsas vero pauperculas, & labori natas, quo victum quæritent, vanis colloquiis diem insumere non debere. Heu misera! invidiam, qua rodebatur, hoc ipso reserabat, quod importunam diligentiam nitebatur nimis anxie ostendere. Cum hæc agerentur; puer ingenii non infaceti, e cistula humi jacente uvam semicompressam manu capit; &, suspenso gradu, propius Amaryllidi a tergo fit; nobisque videntibus, nec plene, quid facturus esset, colligentibus, digito ad os suum apposito, silentium indicit; &, ut cachinnos in communem lætitiam provocet, in Amaryllidis vultum, quam acceperat, uvam ex inopinato projicit. Illa improviso jactu exterrita, & tota per faciem humore veluti sanguineo madida, in furorem abit; ea etiam de caussa, quod auctam sibi venustatis inopiam, novæ deformitatis accessione, non falso existimat. Statim igitur, ulciscendi avida, minace vultu, effero clamore, incitata, & ignem naribus vibrans, puerum insequitur. Hic, mali conscius, quod ipsi impendebat, celeri fuga sese tentat periculo subtrahere; pavidus simul, & dolo suo exultans. Sed, nescio quo pedum errore, dum, versis retro oculis, adversariam spectat, miserrime labitur. Tunc, immites offensæ mulierculæ manus evadere non posse, autumans; auxilium, subortis lacrimis, petit; & ab iracundia Amaryllidis, proxime adventantis, tutelam quærit. Accurrunt sociæ: eamque, contra obnitentem manibus pedibusque, per brachia ac sinum multa vi retinent; &, mixto inter pietatem & risum officio, illius collum, genas, frontem linteolo sollicitæ abstergunt; &, ad sedandum impetum, in puellum inglorie facturum, precibus & verborum lenocinio utuntur. Pomponius vero, ex sua auctoritate, vindictam serio inhibet: & pueriles lusus ita habendos esse, monet; ut, vel spernantur, si leves sint; vel a fundi domino plectantur, si immodici: nemini licere, jus sibi dicere; & ab alieno arbitrio, non ab iis, qui

læsi

læsi sunt, pœnæ modum statui debere. Amaryllis, non obsequio, quod frangeret, si posset; sed necessitate, cui impar erat obsistere, victa conquiescit; & oculis minacibus armata, & digitum dexteræ indicem mordens, in aliud tempus, atque ubi, remotis arbitris, occasio parata sit, puerum, qui eam pro ridiculo ac delectamento nobis exposuerat, sibi pœnas daturum, subtacite obmurmurat. Compositis in hunc modum rebus; nec parvo solatio recreati, illinc discedimus; & in atrium domus properamus. Aderat hic cella vinaria, ubi merum exquisitissimum, maxima quidem diligentia paratum, 1 & in

1 *Et in annos plurimos conditum*,) Vetustate maxime vinum commendatur, & generosum censetur. Plaut. in Prol. Casin.

Qui utuntur vino vetere,
sapientes puto.

Ovidius in hanc sententiam abit, qui vinum sibi avitum fundi optat:

Qui properant, nova musta bibant: mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merum.

Ut Veteres vini ætatem cognoscerent, suspendebant e vasis vinariis tabellam, in qua annorum series computabatur; id est, quo tempore, quibusque Consulibus, conditum esset. Juvenal. Sat. V. 34.

Cujus patriam, titulumque Senatus
Delevit multa veteris fuligine testæ.

In Jurisconsultorum libris veteris vini præstantia deprehenditur; &, legato vino vetere, quædam legato dignitas accedebat: ac quæstioni locus erat in interpretanda ipsius vini ætate. Cujacius in Comm. ad tit. VI. lib. 33. D. de Tritico, vino, vel oleo legato, scribit: *Vinum quoque VETUS si legatum sit, ex usu testatoris æstimabitur; puta bimum, si non nisi bimo usus fuerit pro vetere: quod si usus testatoris incompertus sit, tunc definitur eleganter in L. 11. hoc tit. Vinum Vetus id esse, quod non est novum; id est, vinum anni superioris; quod & Varro ostendit in lib. de Re rustica his verbis: Si vetus bibere velis,* tum

& in annos plurimos conditum, servabatur: de quo certiores facti sumus ab hisce, qui supra januam legebantur, politissimis versiculis.

DVM.MEA.VINA.BIBIS.QVI.SIT.COLOR.ADSPICEPRIMVM
TVM. GVSTA. QVAE. SIT. GRATIA. QVI. SIT. ODOR
OS·NARES. OCVLOS. TER. RECREAT. VNICVS. HAVSTVS
EXHILARAT. SAPOR. HOC. HAS. ODOR. HOSCE. COLOR

Commendato Inscriptionis lepore, ad superiorem ædium contignationem ascendimus; & in solario, pergula a Solis radiis defenso, consedimus. Quoniam vero duæ saltem horæ ad prandium adornandum supererant; C. Nautium rogamus, ut cœptam de Titulo Regularum Juris disputationem, modo ei commodum sit, prosequatur; postquam de hujusce Tituli Epigraphe tam facunde ac docte, simulque abunde verba fecerat. Numquam me mandatis vestris, inquit Nautius, parum obsequentem invenietis. Illud tamen in anteceffum moneo, frustra a me expectari, ut omnia, quæ in hunc censum referri possent, minutim ac distincte complectar: tempus enim non plene suppeteret; nec nostra isthæc familiaris consuetudo, amœnitati potius, quam severæ meditationi disposita, pateretur. Satis superque hac in re elaboratum est: & plus eo scriptum, quod vel postularet necessitas, quæ paucis indiget; vel utilitas suaderet, quæ selectioribus delectatur. Auctorum numerus, qui hanc sibi curam suscepere, pene infinitus: librorum moles, ubi hæc materies pertractatur, ad nauseam intolerabilis. Quare me

in

cum fuerit anniculum prodit. Contra, minoris pretii erat vinum novum, tamquam immaturum ac insuave; dictum *Doliare*. Hinc Plutarchus scribit: *Isto veteri & miti vino rejecto, durum & immite* de dolio *bibimus*. Nam in *doliis*, cum primum exprimitur, vinum reponitur; ut vero maturitatem suavitatemque suscipiat, & longius servetur, in *vasa* transfertur,

in iis dumtaxat continebo, quæ generatim exposita, mihi, compendio rerum, minuant laborem: afferant vobis, nitida ac brevi narratione, aut minus tædium, si displiceant; aut si grata sint, aliquod oblectamentum. Ad hæc ego: Priusquam exponas, quæ promittis, quæque optima non dubitamus futura; oro obtestorque, judicium de Scriptoribus feras, qui huic adornandæ provinciæ vacarunt; summatim, ut par est, non fuse: namque tua abuti patientia, nobis culpæ dabitur; tibi vero multum pariet incommodi. Ita, ut jubes, Jenuti, exequar, inquit Nautius: secus difficile foret, ne dicam, impossibile, unumquemque percurrere: sola enim horum percensere nomina, immensum sibi vindicaret catalogum; doctrinam vero ipsorum perpendere, tot desideraret volumina, quot integra ac prægrandis instrueretur bibliotheca. At ego illi: Mire tua mihi favet humanitas, nulli incognita, mihi tamen peramabilis. Ideo grates habeo maximas. Incipe; & nostrum pectus sapientissimo tuo sermone demulce. Tunc Nautius: Siquod Opus commentario minus indigeret, Titulus hic procul dubio foret. Regulæ, quæ carent simplicitate, a suo instituto deflectunt. Sunt, veluti in Scientiis omnibus *Principia*; quæ, si præter nitidam explicitamque sui ipsorum cognitionem, alias longe repetitas desiderant; muneri suo desunt, & mentitum sustinent *Principiorum* vocabulum. Regulis, ut suus honos constet, nihil addas, nihil minuas, oportet. Alterum eas redderet imperfectas, non integra exposita sententia: alterum incompositas, addita mole inutili. Quare, cur in his immensam operam locent Interpretes, prorsus non video. Explicationem non excludo; qualem vel anceps vocum significatio, vel necessaria exceptio postulat: sed eam nisi brevitas commendet, ornet perspicuitas, exilio damnandam puto; reponendamque inter nocuos ac fastidiosos Scriptorum labores existimo. Ubi tamen hæc in ingeniis continentia ac pudor? Luxuriant in rebus dilucidis, & controversia carentibus; & plerumque non tam

lucem

lucem afferunt, quam detrahunt. 1 Qui primum Glossis vacarunt, sobrietate laudandi sunt. Paucis contenti, si rem non plene explicant, saltem non involvunt: fontes, unde Regulæ manant, commoſtrant: similia loca opportune referant: difformia, 2 quamvis non copia eruditionis, ingenii tamen acumine, conciliant. Desideranda in his esset quædam gratia ac lepos: fateor: cruda sunt multa; incompleta; &, ni fallor, nonnulla etiam ridicula. Ferenda tamen potius hæc molestia, quæ minore tædio compensatur; quam exuberans ille rerum excursus, qui delassat ac pene enecat. Ut spiritum aliquantisper colligas, Nauti, hoc loco inquit Pinarius; liceat mihi in rem præsentem aliquid adnotare. Parsimoniam

1 *Qui primum Glossis vacarunt,*) Primus Pepo, qui Bononiæ artes liberales docebat, Jura apud Italos interpretari cœpit, parum huic operi idoneus. Quare munus hoc Irnerio demandatum, cui major ingenii felicitas ac industria: isque primus *Glossas*, id est, breves ac concinnas notas apposuit. Sequuti sunt illum Martinus, Gossia, Bulgarus, Placentinus, aliique: sed in progressu tot Auctorum congesta glossemata tædium attulere: & hac de caussa Accursius horum interpretum postremus, ea omnia, in unum corpus conflata, sibi adscripsit, nonnullorum nominibus quandoque recitatis.

2 *Quamvis non copia eruditionis, ingenii tamen &c.*) Alberici Gentilis judicio, in Dial. II. inscripto, *Paullus*, Veteres *analogica* interpretatione præstarunt; Recentiores *etymologica*: ex quorum libris, & antiquitatum rerum, & vocabulorum quorumdam reconditorum haberi potest ad satietatem omnis elucidatio. Proinde ille existimat laboriosum Recentiorum opus, Antiquorum vero subtile ac doctum. Sunt etiam, qui non omnem Glossatoribus eruditionem detrahunt; sed ipsorum aliquos Græcis ac Latinis litteris non leviter imbutos fuisse, contendunt: ut ex Duareno in epist. ad Guil., & Cotta ant. adnot. ad tres lib. Cod. in memor. de Jurisp.

niam istam scribendi, seu cautam prudentemque brevitatem in Glossatoribus, quam tantopere laudas; quæque per se valde est commendabilis, non aliunde fluxisse arbitror, quam, quod primi Legum Interpretes, renata apud Italos Romana Jurisprudentia, quamvis bonarum artium inopes, & politioris litteraturæ jejuni, intentius quoddam in ipso puro putoque Juris corpore studium posuere. Hic eorum deliciæ: hic assidua diligentia: hic repetita Legum comparatio. Hac de caussa factum est, ut sensim & quotidie, nullaque peculiari ipsorum cura, succum illum ac sanguinem, vel nihil tale meditantes, acceperint: contractumque scribendi genus, legibus consonum, & nimis ab Interpretibus diligendum, mutuati sunt. Præter enim Juris libros, in hac facultate nihil tunc publice editum, nihil evulgatum: idque maximo hujus Artis beneficio, quæ pulcrior splendidiorque enitet, ubi nobilissimæ suæ originis dotem custodit intactam, exoticamque omnem excludit pompam, fucatumque apparatum. Utinam istis Glossatoribus mens sanior in eo constaret; quod de suo nihil adderent; neque, acti misera phrenesi, 1 nugas & fabellas, in ea obscura ætate familiares, luminosis postea seculis risum excitaturas, obtruderent: major illis gloria accederet, & faustius apud posteros nomen triumpharet. Sed quid? Plures vellem hujus culpæ reos, quam lubens prætereo; &, veniæ non avarus, condono; dummodo alia virtute pollerent, quam desidero, quam in Glossatoribus invenio; perspicuitatem nempe cum brevitate conjunctam. Recte quidem, inquit Nautius. Sed, attendite: redeo, quo digressus sum. Cœpit post Glossatores plus nimio effervescere scribendi libido: 2 & immensa Juriscon-

1 *Nugas & fabellas &c.*) Suavissimi sunt Glossatores, præsertim in tradendis rerum originibus, in vulgaribus ineptisque substinendis traditionibus, in historiis misere contorquendis: ita sane, ut, nisi aliunde illorum sapientia constaret, vix se a risu & cachinno poterit quisque continere.

2 *Et immensa Jurisconsultorum familia e Bononiensi scholis &c. quæstiones passim exci-*

risconsultorum familia, e Bononiensi schola, tamquam ab equo Trojano prorumpens, studuit, quæstiones passim excitare; dubia vario aspectu proponere; eadem diversis rationibus solvere; propriam sententiam pertinaciter tueri; alienam impudenter oppugnare. Illico morbus late diffunditur; incrementi capax, quod numquam destitit; impos medelæ, quæ numquam adhibita est: morbus sane, eo minus cognitus, quo magis a cunctis adoptatus; qui adeo profundas egit radices, ut subinde nulla vis ac industria, nulla sapientiorum indignatio valuerit evellere. Ita, ita est, sermonem interrumpens, exclamat Numicius. Egone, tam prodigus temporis arbiter, tot insulsa volumina perlegam, quibus delicias & suavia condimenta augent incomtus sermo, rustica supellex, & inconcinna dispositio? Cur potius hoc ipsum tempus, ne ejus jacturam lugeam, in pervolvendis nitidissimis Legum libris non insumam; in quibus maximum est moræ pretium,

D quæ

excitare &c.) Guidus Panzirolus de Clar. Leg. Interpr. cap. 4. lib. II. hæc refert. *Qui postea successerunt, latius vagati, pauciora sunt jura interpretati. Posteriores, dum in confutandis aliorum opinionibus, & suis comprobandis, plura argumenta aggregant, & levia quæque sectantur: unius legis interpretationem in menses producentes, vix finem inveniunt: &, Tractatus in longum protrahentes, sæpe incertos & confusos auditores relinquunt. Et, ut omnia in pejus labuntur; eo deventum est, ut hodie aliqui vix quinque Jura singulis annis interpretentur. Scio etiam aliquos, qui circa unius tituli rubricam duos menses insumserunt.* Hinc Ant. Augustinus, Duarenus, Balduinus, Hotomannus, cæterique recentiores Eruditi appellant Scriptores hujuscemodi *Sophistas* ac *Vitilitigatores*: cum veteres Jurisconsulti statim jugulum caussæ appetant: satis habeant, si eam unam adducant rationem, quæ controversiam finiat: quæque est una in omni quæstione; cæteras, ceu minus necessarias, Sophistis, & Declamatoribus relinquant.

quæ ubi longius protrahitur, majore cum fœnore redit utilitas; &, renovata sæpius lectione, lumen patet uberius, & recens quædam augetur voluptas? Videte dulcem Scriptorum hujuscemodi insaniam! Quam perdite & efflictim se ipsos amant; & quanta judicii pauperie sibi ipsis imponunt! Nil miseri prævidebant, eorum codices, corrupto olim palato non ingratos; nobiliori postmodum ævo, pingue tineis pabulum, & satis commodum turi ac scombro integumentum futuros. Ridens ad hæc Nautius, amici œstrum nutu adprobat; & sermonis cursum prosequens inquit: Renatis inde sub fausto sidere cultioribus litteris, cum veteres revocatæ sunt artes, per quas Jurisprudentiæ nomen, & solidæ doctrinæ crevere vires; famaque, & Latinæ dignitatis majestas supra populos latum obtinuit imperium; 1 viri emunctæ naris, politisque exercitationibus enutriti, caput, discussis jam tenebris, extulere; & partes suas in hac palæstra minime deserere curarunt. Hi ab indigestis involutisque veterum scripturientium laboribus, quæ maxime ad rem faciebant, caute furati sunt: gratia innocuæ rapinæ addita, qua crimen in meritum converterunt: & inventionis gloriam, quam illi ob rusticitatem amisere; isti, nobilitato per elegantiam & nitorem latrocinio, perbelle sunt aucupati. Horum Commentarii multo studio sunt pervolvendi; ubi, & ratio feliciter dominatur, & opportunis locis fulget eruditio, & suam loquutionis genus servat dignitatem. Videbatur Nautius coronidem huic suo judicio imponere: sed Numicius prius vultu, inde verbis, aliud velle ostendebat. Quare sic ad Nautium. Dic, oro, sodalis dilectissime, qui præ cæteris inter eruditos eminent? Laudasti omnes: indica tamen meliores: loquimur de Scriptoribus vita functis: nulla est ex eorum comparatione invidia: maxima in judicando libertas.

1 *Viri emunctæ naris &c.*) quorum syllabum recenset in sua Juris Bibliotheca Struvius; ubi patet, quam sibi curam Interpretes clarissimi sibi dedere in effingendis variis super hoc Titulo Tractatibus.

bertas. Tunc Nautius : Morem tibi geram non invitus. Plures sunt, quos ob acumen & industriam possem extollere: præcipuos tamen facio Petrum Fabrum, & Jacobum Gothofredum: qui vero alios longe superant, uno superantur Cujacio. Bene est, ait Numicius : Sed sunt hi numeris omnibus absoluti? Si Cujacium demas, respondet Nautius ; invenies in aliis duobus, quod emendatius velles. Urget Numicius : Et hoc, hoc, inquam est, Nauti, quod abs te volo. Explica sensus tuos · & quæ in his Scriptoribus, tibi minus grata, observas, palam ac libere expone. Difficilem rem postulas; inquit Nautius : quod enim privatim sentio, non ita tutum est, ut pro certo statuam. Pudet, me, Censorem meo arbitrio factum, nulla munitum jurisdictione, de magnis viris judicium ferre. Pone hanc tantam modestiam tuam, Nauti, ait Numicius; &, si licet dicere, valde importunam: inter domesticos lares, & in dulcissimo hoc nostro consortio, nimis religiose, nimis timide loqui, fastidium creat. Quamvis erres; quod a te longe alienum est; nullum tibi imminet dedecus. Ubi id eveniet; humanissimi nos erimus adversarii : nostras patieris objectiones ; placide proponentur ; placide excipies : vinci, aut vincere, utrimque erit non indecorum. Ad hæc Nautius : Qua tibi resistam, Numici, viam non invenio. Teneo, quanta polles eloquentia, ut, quod ab aliis postulas, nemo est, qui deneget. Accipe igitur, quæ sum dicturus. Venio primum ad Cujacium, qui non uno in loco suorum Operum de hisce Juris Regulis differit. Is mihi immunis quovis defectu habetur ; non alia de caussa, quam, quod illud unice affert, quod decet. Ea est 1 egregii viri, suæque doctri-

1 *Egregii viri, suæque doctrinæ sibi tantum debitoris &c.*] *Jacobus Cujacius*, ita Papir. Masson. in ejus Vita, *quod posteri fortasse mirabuntur, se ipsum in Græcis fere Latinisque politioribus litteris, docente nullo, erudiis : quamobrem a nobis raro præclaroque nomine* αὐτοδίδακτος *appellabitur : ac Juris Romani radices, tanta cura effossas, in lucem protulit, ut cæteri ante ignorasse illas; ipse solus post multos, & quæsivisse diligentius, & penitus invenisse videatur.*

doctrinæ sibi tantum debitoris, dos maxima ac singularis, ut nihil aliud odio prosequatur, nihil magis vitet ac fugiat, quam quod superfluum. Ingentia extant hujus celeberrimi scriptoris volumina; in quibus, quod detrahas, tamquam inutile; quod addas, tamquam prætermissum, non reperies. Parce semper, numquam jejune, breviter, non obscure, solide, non inaniter, necessaria ac utilia exponit. Prudenter monet, opportune notat, caute dubitat, dubia sapienter solvit. Hoc pacto legentium animus non gravatur, sed extollitur; libere meditatur; currit sine obice; desistit sine anhelitu ac fastidio; doctus fit denique sine tricis & ambagibus; & in amplissimo doctrinæ Regno non servit, sed dominatur: &, si quando videtur demissus, & verborum copia ac splendore carens; de eo dicam; 1 ut Cicero, quod in hisce locis *dat rationes certas, & præcepta; quæ, si minorem habent apparatum, [sunt enim exilia] tamen habent ordinem, & quasdam errare non patientes vias*. Belle tu, Nauti, & argute de Cujacio; omnes exclamavimus: dignus quidem tantus vir, ut ab omnibus laudetur; a nemine tamen melius, quam abs te, qui brevi sed succosa oratione, omnia, quæ ejus memoriam ornant, mire complecteris. Perge ad alios, de quibus ea te nobis relaturum certo promittimus, quæ nec tuam prætereant perspicaciam; nec nostram deludant expectationem. Tunc Nautius: Meæ vires tanti non sunt, ut vestro desiderio respondeant; tanti tamen est humanitas vestra, ut meæ, ubi deprehendatur, parcat imbecillitati. Igitur de Petro Fabro mihi sermo instituendus est; de eo nempe, qui redivivus 2 seculi sui *Varro* est nuncupatus. Quid igitur in hoc viro culpem? Hoc ipsum, quod nimiis

1 *Ut Cicero*,] De Clar. Orator. ad Brutum.

2 *Seculi sui Varro est nuncupatus*.] Causabonus epist. XVII ad P. Fabrum. *Equidem sic censeo: Cum hæc ætas nostra plurimos eruditione clarissimos viros tulerit; unum tamen extitisse te, qui* Varro *sæculi nostri appellari, & vir undecumque doctissimus audire possis jure, immo debeas*.

nimiis divitiis polleat, iisdemque abutatur. Joseph Scaliger Fabri doctrinam magni habebat: 1 vulgabat tamen in familiaribus colloquiis, non consono aliorum illustrium virorum judicio, quod merus erat *Compilator*, nihil dijudicabat. Sane, non ignota est acrior quædam Scaligeri erga clarissimos Scriptores censura: pares non ferebat, quos paucos numerabat; multo minus superiores, quos nullos habuit. Sed aliquando, licet acerbius, quam par erat, non falso loquebatur; &, quod de Fabro asserebat, asperum quidem ac durum, a veritate tamen non omnino aberrabat. Profecto minor in hoc Interprete desideranda foret rerum supellex, qua præter necessitatem abundat; major plurimis in locis cura ac industria in rebus non tam afferendis, quam discutiendis; pronior facilitas in iis disponendis; & felicior perspicuitas in enodandis. Quare illum vellem, non tam plenum, quam nitidum; non tam divitem, quam venustum; ut minus doceret, plus alliceret; multa consultius relinqueret, ut multa melius traderet; & potior ei foret decora rerum paupertas, quam ubertas, eo invisa magis, quo magis ambitiosa. 2 Novit & ipse Faber, id sibi posse objici; nec dubitavit; fore, qui ipsum plus nimio diffusum judicarent: & brevitatem, a se alibi laudatam, in se ipso, hujus Operis conditore, prædicarent deficere ac desiderari. Caussam vero suam conatur defendere: &, quæ abundant, asserit prætermitti, expungi, & resecari facilius posse; quam quæ defuerint, suppleri: ea ratione addita; quod non pauci sint, quos varietas delectat, & ad intelligendum etiam juvat: cumque omnibus consulere decreverit, aliquanto prolixior esse debuit.

 Sed

1 *Vulgabat in familiaribus colloquiis*) In Scalig. posterior. ita legitur: *Petrus Faber Sanjorianus, primarius Tolosani Senatus Præses, qui Semestria, & Agonistica scripsit; fuit unus ex doctissimis Galliæ viris, sed merus erat* Compilator; *nihil dijudicat.*

2 *Novit & ipse Faber*] In Præfatione Comment. ad Tit. de Diverf. Reg. Jur. ant.

Sed hæc cantio iis est familiaris, quibus impotens est exscribendi omnia, quæ sciunt, libido: juvare credunt, dum nocent; levamen afferre, dum onus imponunt. Verum, bona sunt, quæ scribit Faber, recondita, partim e Græcis, partim e Latinis Sapientibns depromta. Esto: id non patiebatur suscepta provincia: has opes non amat, qui ingenuum textus intellectum quærit: vult instrui, non onerari; sanis documentis errores fugere; non pingui eruditione a proposita via deflectere. Isthæc audiens Pinarius, ait: Non falleris, Nauti: & miror quam maxime, vitium hoc in Fabro deprehendi, qui poterat, & sane debuerat declinare. 1 Memini, apud eumdem legisse, quod hoc suum Opus non semel recoxerat; a prima juventa inceperat; in manus iterum sumpsit; sæpius expolivit; & post periculosam ægritudinem, ætate jam provecta, & inter graves ipsas administratæ Reipublicæ curas, hanc materiam denuo pertractavit; in quam, ut testatur, totus incubuit; immutavit non pauca; aliqua dempsit, plurima adjunxit. Hic animadverto; condonandam, seu æquiore animo ferendam in iis copiam, rerumque luxuriam. Qui primo impetu partum edunt, hi, quæcumque mente revolvunt, audiunt, legunt; statim excipiunt, præcipitanter adoptant, inconsiderate diligunt; nec forte locus emendationi superest; neque ea, qua opus est, ut putamina a nucleo separentur, mora suppetit abunde. Sed, ubi diuturna adhibeatur cura, ubi severa meditatio accedat; nulla caussa est, cur superflua non amputentur; repetita non cohibeantur; exempla, si sint plurima, retentis melioribus, alia non resecentur; & ex citationibus non prætereantur obviæ, admittantur dumtaxat selectiores; &, siquid addendum sit, non illud unice addatur, quod luminosum, quod utile, quod necessarium sit. Dum hæc sapienter recensebat Pinarius, addit Numicius: Et ego miror quoque,

1 *Memini, apud eum legisse,*) In Epistola ad Jac. Cujacium, ipsius Commentariis præfixa.

que, Fabrum in hunc ſcopulum impegiſſe, qui Cujacii auditor fuit: ſatis ab eo addiſcere poterat, pari ſtudio ac diligentia, non minus inopiam ac jejunitatem in ſcribendo; quam ingraveſcentem copiam & faſtidioſos excurſus vitari debere. Niſi quod, ut opinor, auditores, facti plerumque præceptorum æmuli, ut eorum famam vincant, ſiniſtra mente acti, contrarias tentant vias; ſibi meliores viſas; falſas tamen ab ingenuis rerum æſtimatoribus detectas. Sed, ut video, jam ſatis de Petro Fabro. Reſtat, Nauti, ut aliquid de Jacobo Gothofredo ediſſeras. Ita eſt, reſpondet Nautius. En me promiſſis exſolvo. 1 Jacobus Gothofredus, Juriſconſultus ſa-

1 *Jacobus Gothofredus, Juriſconſultus ſane eximius,*] Jan. Vincent. Gravina cap. CLXXXIII. lib. I. de Ort. & prog. Juris Civil. hæc habet: *Gothofredus junior, abſtruſa eruditione, ſelectaque ſcientia Juris, judiciique integritate, ſecundus certe a Cujacio Juriſconſultus.* Latius ejus laudes proſequitur Anton. Marvillius in præfatione ad Cod. Theod. his verbis. *Hic Jacobus, patris profeſſionem amplexus, Juriſprudentiæ ſe totum dedit; & Anteceſſoris partes implevit, tanta ingenii felicitate, & ſtudiorum progreſſu ac incremento, ut nullam Juris divini ac humani partem intactam reliquerit: nam linguæ Latinæ ac Græcæ auctores, poëtas, hiſtoricos, politicos, philoſophos, ac philologos fere omnes eum perlegiſſe conſtat ex his uberrimis commentariis; & propoſito ſcribendi inſtituto circa hunc Codicem, omnem ornatum advocaſſe; ſed & veteres Juris Interpretes ac recentiores conſuluiſſe, atque melioris notæ rerum judicatarum, ſeu placitorum ad Fori uſum compoſitores, enarraſſe; necnon in provectioribus ſtudiis & ſolidioribus, divinæ Scripturæ Interpretes, Patres Græcos & Latinos, Concilia, & Synodalia Acta examinaſſe, non perperam, non temere, ſed exactiſſima ſedulitate & ſollertia; non tantum ex hoc diffuſo Opere, ad quod totas ſuas vigilias & induſtriam deſtinaverat; verum colligere eſt ex aliis Libris, & Opuſculis ab eo editis.*

ne eximius, & paucis comparandus, manus ad hoc Commentarium admovit; hoc infortunio; quod ex eruditis multi præcesserant, præsertim Cujacius, & Faber, qui animum huc converterant. Tali ab his occupato interpretandi munere; aut nihil, aut parum supererat, quod novis Gothofredi inventis locum relinqueret, & ejus ingenio laudem compararet. Vidit obstaculum ipsemet Gothofredus: 1 sed eo minime exterritus; immo nobili quadam audacia inflammatus, nescio quid grandius arripuit: & hujus Tituli vitia, quæ plurima sunt, ut alibi docebo; nedum obtegere, quod foret pietatis officium; sed ad virtutis dignitatem evehere, quod nescio quid superbi olet, tentavit. Tribonianum perdite amat, hujus Tituli auctorem; 2 culpam in eo nullam invenit; siquam ei quidam appingunt, conatur diluere, aut saltem minuere; omnia ab hoc ad amussim effecta, recte disposita, perspicue tradita, late prædicat. Præstitit ne hoc, quod suscepit? Inquit

1 *Sed eo minime exterritus; immo nobili quadam audacia inflammatus,&c.*) Caussas multas ipse Gothofredus in præfatione hujus Commentarii affert, quibus impulsus, provinciam hanc suscepit; & operam a se hac in re locatam defendere conatur; ne actam forte confectamque toties rem agere, & post tot præclarissima ingenia oleum atque somnum perdere videretur.

2 *Culpam in eo nullam invenit*] Tribonianus, cæteroqui doctissimus, labe sua non caret, ut ab eruditissimis Scriptoribus demonstratum est; præsertim ab Hotomanno, qui sane, acerbius, quam par erat, illum insectatur in libello, cui inscribitur *Antitribonianus*. Et ipsemet Gothofredus negare minime potuit, Tribonianum hominem fuisse circumveniendis ac decipiendis lectoribus valde proclivem: sic in Comm. L. 23. h. t. his verbis: *Si modo non Tribonianus hic, vel alibi, nobis imposuit, seu fucum fecit.*

Inquit Numicius. Dii faxint, respondet Nautius: Difficile defenditur, quod interno laborat defectu: decoram faciem vitiis apponere, fallaciæ possunt, non solidæ rationes: statim cadunt, quæ labili fundamento nituntur. Nil est, quod vis ingenii non ornet; sed, veluti fugax lumen, splendide nascitur, cito ac misere extinguitur. Quare, ubi occasio postulabit, quantum Scriptor, cæteroqui sapientissimus, sibi imponat, enarrabo. Dicam tamen: Si hanc labem Gothofredo detrahes; omnia habebis tanto viro digna; etiam quæ sua non sunt; quæque tam vivis coloribus depingit, tam eleganti apparatu vestit; ut ab eo præstet, quam ab aliis accipere. In hoc sermonis articulo advenit Pomponius: &, ponite tandem colloquiis modum, inquit. Mensa jam parata est: longior mora cibos corrumpit: ea illis conditio est, quæ vos non latet; ut gratia careant, ubi opportune non gustentur. Accedite: dux ego & comes vos in cubiculum ducam. Consurreximus; & Pomponium sequimur. Invenimus mensam perbelle instructam; in qua flosculi versicolores sparsi, & herbæ virides & odoræ passim intermixtæ oculos recreabant. Aderant bene dispositæ rotundæ patinæ ex argilla candida ac pellucida, argenteis longe mundiores: hæ cultellos, furcillas, & cochlearia, elegantis sed modesti usus excipiebant; panes insuper flavi coloris, tumidos, sed simul leves, instar plumarum, &, veluti pumices, intus undique perforatos; &, quod ipsis meritum augebat, non adhuc deposito coctionis nuperrimæ calore: supra panes ingeniose plicata linteola, & variam figuram reddentia. Alibi spectabantur viminei calathi, selectissimis pomis ac uvis onerati; quique, formoso aspectu, nostras manus ad repentinum eorum raptum primo ingressu alliciebant. Alibi phialæ, & aqua illæ, & vario istæ vini genere repletæ; omnes vero multa nive saginatæ, ad frigus, quo possit majus, procurandum. Hic genialis rerum apparatus ventris famem ac dentium pruritum, quos, partim pedestri itinere, partim longa expectatione, nobiscum una, tamquam rabidos in intestinis carni-

carnifices attulimus; mirum quantum auxit, & vehementius excitavit. Quamobrem, ne ulterior mora ferociores adderet stimulos; vix, lotis præcipitanter manibus, sedes circa mensam locatas, confuse & nullo ordine, irruentes, occupamus. Affertur, inter prima edulia, dulcem elaborantia saporem, petaso, honoratos jactans e Samnio natales, bene quidem olens; cui mixtus cum sanæ densæque carnis rubore lacteus in larido interlucebat color: idem in segmina tenuissima, ne duriusculus dentibus atteratur, dissectus; & in lancibus per gyrum, veluti in ornamentum, expansus. Adducuntur ficus, gelidæ, prægrandes, obtorto ac languido collo excerptæ, aperto ore lacrimantes, & flava tunica undequaque laceratæ, pretium ex ipsa vestis miseria comparantes. In has fit, tamquam ad expugnandam arcem, primæ nostræ impatientiæ impetus; quem postea ex compacto cohibemus; ne solidiori cibo, indecente repulsa, injuria fieret. Accedunt pastilli, fumantes, lectissimo caseo, & pingui succo consepulti, qui prius emissitiis oculis, quam patulo ore, a multis ingurgitantur. Comes adjungitur vitulæ lumbus, maximum semper ac palmare mensæ stabilimentum; qui illis unice non sapit, qui aut palato carent, aut alio terrarum Orbe nati sunt: hic, lento motu, lento igne, assatus; ut bene coctus, non autem aridus evaderet; nec succum, pretiosiorem sui partem, amitteret. Veniunt quoque ficedulæ, non macræ & pusillæ, sed multo adipe stipatæ, & crusta satis scitula vestitæ. In medio, qui toto corpore supra est, gallus Numidicus, exuberante pinguitudine tumidus ac globosus, nascenti appetitui opportunior, quam stomaco, ab aliis devoratis dapibus pene delassato. Non alia defuere fercula, hercle, multifaria & opipera; quæ, curiositate potius, quam desiderio, leviter attingimus. Omnes tamen precipue in vino positæ deliciæ; & sane, quo in vino! Melius nullibi gustavimus; & de hoc judicet delicatior ac scrupulosior quævis potatorum natio, supra quos familiam duceret Horatius Flaccus, si adhuc viveret. Inter effuse potandum, & lepide propinandum, insolitus animum vigor extulit;

& in

& in pöeticum furorem ſpiritus inflammavit. Diſtichon ego repente natum, dum labiis cyathum appono, qualecumque ſit, recito:

Curæ, quæ vigiles animum turbatis, abite.
Quem bibo, quo recreor, vos fugat iſte liquor.

Convivæ exemplum imitantur; & Numicius, merum e phiala in craterem infundens, ita exclamat:

O phiala, o mea ſpes, mea pax: puto, vivere tecum
Poſſe diu: timeo, te ſine poſſe mori.

Pinarius, ad hæc impiger, procul rejecta aquæ amphora, & vas vini deoſculans, inquit:

Laudet aquas, qui vult. Vinum mihi tradite. Vires
Firmantur vino, debilitantur aquis.

Tum Vitellius, ſpumans in vitreo pellucidoque calice Falernum avidis oculis ſpectans; eoque ad labia lente ſed ſæpius admoto, hos ſenſus profert:

Vinum ſorbillo. Sic ſit mihi longa voluptas:
Præcipiti hæc fieret ſorbitione brevis.

Delectatus his extemporalibus carminibus Pomponius, geminum hoc ſuum addidit:

Eja, iterum bibite, atque iterum: nam ſæpe bibendo,
Sæpe ego, quos verſus funditis, aure bibam.

Interea viſum ſatis epulis ac lætitiæ datum: proinde ad meridiandum concedimus; ut ſomno largas comiſſationes & uberrimos potus, tamquam opportuno medicamine, liceret temperare. Diu, alte ſtertentes, & profundo ſopore obſitos, lectus nos tenuit; placidam illam quietem longius, & in ipſam noctem, producturos; niſi, pro-

proximum Solis occaſum cognoſcens Pomponius ; recluſa janua, e ſuavi noſtra dormitione excitaſſet. Surgimus; alius diſtentis brachiis oſcitans ; alius caligantes fricans manibus oculos ; ſcalpens alius unguibus caput. Frigidam omnes pro præſenti ope quærimus ; ut,gelido humore faciem irrigantes, nos in nosmet ipſos ab illa membrorum & mentis pigritia revocemus. His peractis, in Pomponii amplexus fuſi, ejus munificentiam & comitatem laudamus ; grates reddimus ; & in noſtras ædes proficiſcimur.

Inſequens dies, quamvis incœnati heſterna nocte dormitum ivimus, ſtomaco irrequietos, &, præterito gulæ exceſſu nimium infartos nos exagitavit. Quamobrem prandio, tuendæ ſanitatis memores, abſtinere, ſtatuimus ; & domi confabulando, qui mentis cibus eſt electiſſimus, placuit immorari. Age ſis igitur; tunc ego ad Nautium;a tuo inſtituto ne diſcedas : &, qui ſint in Titulo Regularum Juris *Defectus*, explica. Id a te enixe poſtulamus: id, uti cæperas, preſta ; quod nobis erit jucundiſſimum ; tibi vero facillimum præ tua doctrina ac eruditione. Parcite tot laudibus, inquit Nautius. Etiam ſine hac mercede veſtro deſiderio inſerviam : tanti non ego ſum, qui hoc præmio ſuperbiam : pretium mei laboris nullum debetur; nullum expeto ; & ſiquid vellem, unicum illud placet, unicum optabile eſt, veſtra ſcilicet benevolentia, qua abunde potior ; atque id meæ felicitati tribuo. *Defectus* hujus Tituli ad capita quatuor refero. Ea ſunt, Pernicioſa præcipuarum Juris Regularum Taciturnitas, Exoſa quarumdam aliarum Repetitio, Prætermiſſus rerum Ordo : Inextricabilis in nonnullis locis ſententiarum Obſcuritas. Hac die, duo priora excurram ; reliqua in aliud tempus. Venio ad Regulas, de quibus altum ſilentium. Hoc primum ſtatuo: Qui colligit, omnia colligat neceſſe eſt : ſiquid deſerat, quod expectetur ; ſiquid detrahat, quod occaſio deſideret ; operam ludit ; &, virtutes, ſi quas alias habet, hac labe corrumpit. Munus colligendi quodammodo ſervile eſt : una nobilitatur induſtria ; ſi nihil eorum deficiat, quæ colligenda ſunt. Quicumque legunt, hoc ſibi expetunt compendium, hanc ſibi ſpon-

dent

dent utilitatem; ut in collectione omnia sine incommodo ac fastidio inveniant, quæ alibi sparsa ac confusa, deberent diuturno studio conquirere, & peculiari diligentia secernere. Ubi hac spe falluntur, auctoris conatum derident; & imperfectum opus contemnunt, pipulo differunt, ac conviciantur. Plane excusandi sunt, qui suo marte aliqua super Facultate Regulas creant, si non omnes effingant. Non adeo nobis ferax ingenium est, ut omnia statim concipiat; omnia feliciter in medium proferat: multa aliis relinquit, quæ isti expoliant, augeant, producant; & nova supellectile res, e parvo natas, ditent; quæsitisque recens luminibus reddant splendidiores. Non ita in Collectoribus. Parum acumine & meditatione utuntur: curam & diligentiam præstant tantummodo: ubi hæc misera & effœta est; plausu carent, & famæ periculum subeunt. Quid hoc Titulo egit Tribonianus? Scimus. Regulas, in Juris corpore sparsim locatas, in unum composuit: nihil de suo præstitit: aridum sane ministerium; immo infelix; ubi saltem non accedat sollertia, quæ, quamvis eximiam non pariat gloriam, ignominiam nihilominus avertat. Sed quodnam in Triboniano vel minimum sollertiæ? Is plurimas ex Regulis præteriit; nec eas, quas pusillas crederet, & minime dignas, qui indecoram faciem inter alias proferrent: eas certe præteriit, quarum præstantia silentio insigniter violata est, & scissa ac mutilata Operi pudica quædam integritas. Exilio damnatam vides in hoc Titulo *Regulam* 1 quam affert Ulpianus: *Ex pacto non nasci actionem:* qua

1 *Quam affert Ulpianus:*] Lib. III. ad Edictum in L. Jurisgentium, §. Idem responsum. D. de Pactis; cujus hæc sunt verba: *Idem responsum scio a Papiniano; & si post venditionem ex intervallo aliquid extra naturam contractus conveniat, ob hanc caussam agi ex emto non posse, propter EAMDEM REGULAM, Ne ex pacto actio nascatur.*

qua quotidianis norma præscribitur commerciis. 1 Alia ejusdem Jurisconsulti penitus ab hoc ordine excluditur, qua cavetur, *In rem suam tutorem auctorem fieri non posse*. Male quidem de pupillis meritus est Tribonianus, qui hanc Regulam removendo ipsorum damno progatam, minime in hoc Titulo sua sede donavit. 2 Pauli triumphalis illa Regula, quæ docet: *Juris ignorantiam cuique nocere; Facti vero ignorantiam non nocere*: ab aliarum consortio expellitur, & squalida ac emortua in tenebris jacet. Nullo quidem admisso scelere, 3 Pomponii Regula relegationis pœnas luit; illa nempe, qua exponitur, *Ut, quibus ipsis legare possumus, eorum quoque servis possimus*: &, quasi luce sua frui indigna, procul arcetur. Profecto non leve est servorum infortunium; quorum, quæ sunt incommoda plurima, Tribonianus hoc Titulo, bona fide, enumerat omnia: siquid postea tantilli, & veluti fugacis honoris est in iis capacibus declarandis ad legata acquirenda, ingrato silentio involuit. Ejusdem Triboniani odium in Servos non hic sistit; sævit ulterius; & Regulam illam 4 tam Juliani, quam Ulpiani, omittit; qua *constitutum est, servo hereditatem aut libertatem adimi non posse; quando solus est heres cum libertate institutus; sive codicillis, seu eodem testamento fiat ademtio; sed eum & libertatem & hereditatem habiturum:* Miror, servile bellum, tam olim Reipublicæ Romanæ acerbum, in Tribonianum iterum subortum non fuisse, qui

1 *Alia ejusdem Jurisconsulti &c.*) Lib. I. ad Sabinum, in L. 1. D. de Auct. & cons. tutorum.

2 *Pauli triumphalis illa Regula,*) Lib. sing. de Juris & facti ignorantia, in L. Regula, D. de Jur. & fact. ignoran.

3 *Pomponj Regula relegationis pœnas luit*) Lib. III. ad Sabinum in L. 12. §. Regula, D. de Leg. prim.

4 *Tam Juliani, quam Ulpiani,*) Julianus nempe lib. XXIX. ad Sabinum, in L. Si ita scriptum, §. Regula. D. de Lib. & post. hered. instit. Ulpianus lib. IV. ad Sabinum, in L. Si conditioni, §. ult. D. de Her. inst.

qui libertatis beneficium, tam religiose hac Regula custoditum, insidiosa quadam oblivione obtexerat. 1 Recensendæ hoc loco forent reliquæ prætermissæ Regulæ 2 ; tum etiam quarumdam generalium Regularum *Exceptio-*

1 *Recensendæ hoc loco forent reliquæ prætermissæ Regulæ*) Illa nempe, quam Justinianus in L. Apud antiquos, C. de Furt. generalem, & ab antiqua Prudentia expositam esse, ait, non concedentem *Hujus hominis gratia, quo noxalem furti actionem suscipere quis compellitur, adversus alium furti actionem habere*. Item illa, quam ipsemet Justinianus §. Cum igitur, ead. L. laudat dictantem: *Qui habet adversus alium furti actionem, ipse ea teneri non potest.* Illæ etiam, quæ memorantur in §.Sciendum, Instit. de S.C. Orfic., & in L. Veteres, D de Acquir. poss. Illa pariter, quæ in L. Verius, & L. seq. D. de Prob. definit, *Illi, qui agit, necessitatem probandi semper incumbere*. Tum illa, quam Cajus in Inst. tit 16. de Intest. hered. tradit, ubi regulariter monet, *Ut inter SUOS proximior longiore gradu positos non excludat; & non in capita, sed in stirpem dividatur hereditas; ut inter AGNATOS proximior posteriorem excludat; & inter eos non in stirpem, sed in capita ab intestato dividatur hereditas*. Præterea illa, quam Paullus L. Si servum, §. Sequitur, D. de Verb. oblig. Veterum Constitutionem appellat, qua traditur, *Quoties culpa intervenit, debitoris perpetuari obligationem*. Illa demum, de qua in L. Contra juris, D. de Pact. & Inst. de Auct. tut. in princip., fit mentio: *Pupillo, meliorem suam conditionem facere, concessum esse; non deteriorem sine tutoris auctoritate*.

2 *Tum etiam quarumdam generalium Regularum* Exceptiones) Præter plurimas, quæ possent referri, celeberrima est Regulæ Catonianæ *Exceptio*, quæ novam constituit Regulam. Sic enim Regula Catoniana definit, ut ex Cels. lib. XXXV. Digestorum: *Quod, si testamenti facti tempore decessit testator, inutile foret; id legatum, quandocumque decesserit, non vale-*

ptiones, quæ ex se ipsis novas constituunt Regulas, usui non minus opportunas, quam fontes ipsos, a quibus deflectunt. Sed ab hoc me contineo, ne longior sim in Triboniani culpa nimium exornanda. Sat est pauca indicasse, ut de reliquis, qui velint, conjecturam pro sua industria capiant: &, ubi quærant, plurima invenient. Tunc Pinarius: Excusarem profecto Tribonianum, si ipsemet Pandectarum artifex non foret. Sane intelligo, multa per eos prætermitti, qui ab alienis lucubrationibus aliqua decerpunt: non adeo hominum eximia est diligentia, ut sæpe non peccent, vel cum maxime peccare vitent: præsertim ubi vasto spatientur campo, a quo ignotos sibi flores tentant colligere. Sed Tribonianus, in concinnando Digestorum opere, diu multumque veterum Jurisconsultorum scripta volvit, perlegit, discussit: Ipse hæc eadem scripta in partes, nullo pietatis officio, dissecuit; nec sine perfidiæ nota sauciavit: Ipse, veluti ab ingenuo suo corpore divulsa membra, novo per eum confecto ac animato simulacro appinxit. Poterat igitur Regulas omnes excerpere, nullas deferere, hoc Titulo universas collocare; quippe illæ in iis elucebant monumentis, quæ sæpius ipse in manibus habuit, quæ sæpius oculis lustravit, quæ in suas Digestorum sedes abire, dictatorio quodam imperio, coegit. Addo, quod major in Triboniano de prætermissis Regulis culpa arguitur; quod illæ non tam viles ac pauperculæ in obscuro angulo infeliciter latitabant, ut non nisi accensi luminis beneficio inter caligines essent quærendæ: latam illæ & decoram exerunt frontem, primosque legentium obtutus non fallunt, non deludunt. Jurisconsulti, qui illas tradunt, dum proferre

valere. L.1. D. de Reg. Caton. *Excepit* Papinianus lib. XV. Quæst. L.3. D. eod. tit. *Catoniana Regula non pertinet ad hereditates, neque ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, sed post aditam cedit hereditatem*. Hæc *Exceptio* distinctam ac necessariam Regulam effingit, suo loco apponi dignam.

ferre legem incipiunt, 1 hac solenni formula utuntur: REGULA JURIS CIVILIS EST, &c. Quis igitur, hac præeunte face, hoc posito ante oculos indice, eas non statim inveniet, non facili negocio cognoscet, & nulla prorsus molestia colliget? Teneo, hujus Tituli Interpretes vulnera hæc sanasse, expletis provida manu lacunis; & prætermissas Regulas, suis locis, ubi servire occasioni fas erat, apposuisse. Sed ex ipso remedio malum. Notior fit Triboniani negligentia ex industria aliorum: turpe est informem fœtum producere; & ab externa cura medicaminis opem expectare. Cum ita sese res habeat; quantum laudis Interpreti quæritur, tantum Auctori detrahitur; & placet Opus, non quale incuriosus parens edidit; sed quale sollers alterius pietas auxit ac ornavit. Hos Pinarii sensus nutu ac verbis probavit Nautius. Et ad alterum, inquit, ut proposui, hujus Tituli *defectum* in præsens gradum facio. Is est, Exosa quarundam Regularum *Repetitio*. Morbus hic est intolerabilis; doctis æque ac indoctis invisus; illis, quia, quod semel discunt, recusant iternm accipere; istis, quia, quod semel non attingunt; dolent, renovato suæ ignaviæ cruciatu, iterum attingere non posse. Amat quis potius, lumbos pati fuste saligno dolatos, quam hoc tædio ac impatientia torqueri. Præcipua scribendi dos est; ut non eo inutiliter redeamus, quo, jam omni fenore soluti, discessimus; ut, quod satis abunde tractatum est, vano conatu non denuo tractemus. Sic, nec laude sua caret scriptor, nec sua lector voluptate; alter sine vitio docet, alter sine fastidio percipit. Debuerat Tribonianus nitide Regulas referre, non sarcinam imponere; semel recitatas, non iterum reproducere. Quæ

 in hoc

1 *Hac solenni formula utuntur*) Ita Ulpianus in L. Jurisgentium, §. Item responsum, D. de Pact. & in L. 1. D. de Auct. tut. Paullus in L. Regula, D. de Jur. & fact. ignoran. Modestinus in L. Ventri, D. de Tut. & curat. Pomponius in L. Si mihi & tibi, D. de Legat. 1.

in hoc vel gratia quæ alliciat, vel necessitas quæ impellat? Videte, quæso, quantum ipse importune se gesserat. Regulam illam, quæ monet, successores vel in universum jus, vel in certam rem actionemve, eadem sorte gubernari, ac eos, in quorum locum succedunt; ita, ut pari fruantur commodo, pari teneantur gravamine, non una lege contentus promovet; octies inculcat ac misere infarcit; quasi grande quoddam foret mysterium, quod repetitis indigeret clamoribus; unica ac perspicua langueret expositione. 1 In lege hujus Tituli quinquagesima quarta ita scriptum est: *Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet.* 2 In quinquagesima nona: *Heredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.* 3 In sexagesima secunda: *Hereditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.* 4 In vicesima supra centesimam: *Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit.* 5 In centesima vicesima octava, §. I. *Hi, qui in universum jus succedunt, heredis loco habentur.* 6 In centesima quadragesima tertia: *Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat; & successoribus obstabit.* 7 In centesima quinquagesima sexta, §. II. *Cum quis in alii locum successit, non est æquum, ei nocere hoc, quod adversum eum non nocuit, in cujus locum successit.* 8 In sexa-

1 *In lege hujus Tituli quinquagesima quarta ita scriptum est*) Ea est Ulpiani ex lib. LVI ad Edictum; cujus species pertinet ad BONORUM POSSESSIONEM, *unde legitimi*.

2 *In quinquagesima nona*] Idem Ulpianus lib. III Disputationum.

3 *In sexagesima secunda*) Julianus lib. VI. Digestorum.

4 *In vicesima supra centesimam*) Paullus lib. XII ad Edictum.

5 *In centesima vicesima octava*, §. 1.) Idem Paullus lib. XIX, ad Edictum.

6 *In centesima quadragesima tertia*] Ulpianus lib. LXII ad Edictum.

7 *In centesima quinquagesima sexta*, §. 2.] Idem Ulpianus lib. LXX. ad Edictum.

8 *In sexagesima supra centesimam*, §. *ult.*) Ulpianus quoque lib. LXXII ad Edictum.

ſexageſima ſupra centeſimam, §. ult. *Abſurdum eſt, plus juris habere eum, cui legatus ſit fundus, quam heredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viveret*. O inviſæ hujus Tituli deliciæ! O exoſa verborum copia! O lugenda temporis jactura! Omnia, quæ tot legibus faſtidioſe includuntur, unam ſine tanto onere deſiderarent; quæ concinne ac lepide concepta, & ſuis membris apte & eleganter diſpoſita, totam concluderet, atque eodem contextu explicaret ſententiam; non immenſa farragine miſere proſciſſam; ſed decoro nexu, ut par erat, conjunctam, & amico fœdere conſociatam. Sed quid? 1 Si omnes hujus Tituli Regulas, aliis ſuper argumentis pluries & immerito repetitas, hoc loco enumerarem; longius procederet narratio; mihi, & vobis ingrata; quæ non minus de-

E 2 lecta-

1 *Si omnes hujus Tituli Regulas. . . hoc loco enumerarem, longius procederet narratio*) Quædam tamen potiores non ſunt prætereundæ. De Poſſeſſoris favore conveniunt ſex in hoc Titulo Regulæ; L. 25. L. 33. L. 126. §. 2. L. 128. in princ. L. 154. L. 204. De obſcuræ ſtipulationis interpretatione, Regulæ decem & octo, L. 9. L. 20. L. 34. L. 41. §. 1. L. 56. L. 67. L. 73. §. 3. L. 85. L. 96. L. 114. L. 155. §. 2. L. 168. in princ. & § 1. L. 172. L. 179. L. 191. L. 192. §. 1. L. 200. Quarum pleraſque collegit uno capite Harmenopulus περὶ ασαφῶν ἐ ἀμφιβολίας, *lib.* 1. *cap.* 15. De actionibus in heredem, de eo, quod ad eum pervenit, dandis, quinque Regulæ, L. 38. L. 44. L. 111. §. 1. L. 127. L. 164. De mora ab alio admiſſa, tres Regulæ, L. 99. L. 161. L. 174. De furioſo, & de bonis interdicto, quinque Regulæ, L. 5. L. 40. L. 50. L. 109. L. 110. De æquitate, qua res quæque temperanda eſt, quatuor Regulæ, L. 66. L. 86. §. 2. L. 90. L. 183. De Servis, tredecim Regulæ, L. 4. L. 18. L. 22. in princ. §. 1. L. 23. in fin. L. 32. L. 77. L. 107. L. 133. L. 146. L. 157. L. 176. in princ. L. 209. & L. 211. De bonis, quæ ex cauſſa auferri poſſunt, octo Regulæ, L. 13. L. 51. L. 83. L. 112. L. 115. §. 1. L. 139. L. 167. in princ. L. 190.

lectatione ad levandos animos, quam profectu ad mentem erudiendam, careret. Illud tamen minime prætereundum duco; illud bilem movet, vosque pari nausea affecturos existimo: quod duæ hoc Titulo Regulæ, centesima scilicet vicesima nona §. 1. & centesima septuagesima octava, intolerabili earumdem prorsus vocum repetitione prostituuntur. In reliquis una quidem sententia est; non unus tamen verborum apparatus. Re conveniunt; non tota prorsus oratione. Idem spiritus; non eadem facies. Æquale corpus; vestis diversa. Istæ vero tam inter se similes sunt, ut ovum ovo: cusæ sunt uno ipsissimo prælo: & utroque loco ita scriptæ sunt: *Cum principalis caussa non consistit; ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent*. Adverbium *plerumque* utramque distinguit: in prima abest: apparet in altera. Hoc ipsum tamen adverbium in alterutra locatum, duplici non indigebat situ; nec novam invitabat legem, nullo quidem variato dictionis ambitu distinctam. Hic L. Pinarius, Ni fallor, inquit, 1 Regulam istam Paullus, a quo excerpta est, bis

1 *Regulam istam Paullus, a quo excepta est, bis exponit*] Fatetur hoc ipsemet Jacobus Gothofredus in Commen. L. 129. §. 1. Sed, dum adversarios refellere conatur, sese involuit; nec, quid solidi afferat, potest ex suis dictis cognosci. En verba: *Inanis repetitionis vitium hic nonnulli notant. Male: nam & species utriusque diversæ sunt* [falso id asseritur; nam ex iisdem verbis nulla oritur diversitas,] *& in ea differunt, quod hac regula ABSCISE definitur; ea, quæ sequuntur locum habere non posse, cum principalis caussa non consistit. Dicta lege 178. temperamentum quoddam jam adjicitur, voce PLERUMQUE addita, quæ & HIC subintelligenda est*. Sed quod est hoc discrimen; si vox *plerumque*, quæ in una adest, in altera subintelligitur? Quæ hæc *abscisa* definitio in una; quod *temperamentum* in altera; si in utraque eadem vocabula, unico excepto; quod, ex sententia ipsius Gothofredi, in altera *expresse* exponitur, in altera *tacite* latet?

bis exponit; semel libro vigesimo primo ad Edictum; iterum libro decimo quinto ad Plautium. Si id Paullo licuit; cur non item Triboniano? Nautius subridens, Ita ad Pinarium: Hoc a te, joci caussa, dictum accipio: melius profecto, quam ego, odoraris, quid uni Scriptori liceat, quid alteri. Qui differit, uti Paullus, toties rem exponit, quoties opus postulat: ubi redit occasio, denuo affertur, quod antea allatum est. Obscure loquimur, si repetitioni parcimus, cum ea in rem praesentem juvat, legentem non gravat. Qui colligit, uti Tribonianus, hoc arbitrio caret. ei crambem recoquere, quod molestiam parit, non permittitur: grata est collectricis manus temperantia, quae in unum cogit utilia; invisa prorsus luxuria, quae cumulat superflua. Quare sic in universum statuo: Suam esse repetitioni & dignitatem, quae decorem servat, & infamiam, quae industriam deturpat: altera ex pudibunda quadam conciliatur necessitate: altera vero ex ignava oritur ac lasciva redundantia. 1 Jacobus Gothofredus in hanc scenam prodit, sui, verbo absit invidia, plus nimio fidens. Triboniani manes ab omni criminatione vindicat: pro aris ac focis pugnat, ne tantillum gloriae ex hac parte sit ei diminutum. 2 Interpretibus oscitantem indolem exprobrat, qui unam in lineam has concordantes Regulas, nullo discrimine, conjiciunt; easque omnes vel plerasque eadem fidelia dealbant; atque, ubi ad posteriores deveniunt, lectorem ad superiores demittunt. *Sed perperam*, ait: *In singulis quippe Regulis concordantibus singulare quid semper occurrit, vel aliae aliis nonnumquam clariores & apertiores sunt: ut proinde singulis sua quasi condimenta ferculis conveniant: non ut in unam Aesopi patinam omnia. Quare & nos etiam singulis interpretandis institimus; ostendimusque sedulo, in quonam*

1 *Jacobus Gothofredus in hanc scenam prodit*) In Praefatione ad Lectorem ante hujus Tituli Commentarium num. 6.

2 *Interpretibus oscitantem indolem exprobrat*] In Praefatione nuper laudata.

ea concordarent, *in quo differrent*. Nimia hæc est Gothofredi confidentia : lucem tamen Soli negat; & oculis fidem detrahit. Conferat, qui velit, loca hujus Tituli, ubi Regulæ repetuntur. Is, juro, aut nihil inter se differre deprehendet: aut, siqua in aliquibus differentia pateat, quam non prorsus omnem excludo; eas posse, noscet, sub una lege & elegantius & brevius conjungi; paucis additis verbis, quæ obscura explicarent, excipienda secernerent, moderanda demonstrarent. Sanius hoc fuisset consilium; ne Regulæ istæ varia sede dispersæ, & hac illac involuto cursu euntes ac redeuntes, legentium animos importune dividerent: & meditationes, quæ sub unico aspectu evaderent faciliores, aut nimia congerie confunderent, aut renovato sæpius labore fatigarent. Sed, ne pigeat, inquirere, quidnam hic præstet tantarum rerum promissor. Spondet quidem grandia : vereor tamen, ne vadimonium deserat. In progressu Commentarii, quod hic Auctor exegerat; ubi concordantes istæ Regulæ occurrunt, nihil luminosum, nihil magnificum, in discrimine notando, oculis subjicitur. Parum hoc. Suimet prævaricator est Gothofredus. Attendite; num hæc mera calumnia sit, an pura ac puta illius contradictio. Ut plures ejus Operis locos omitttam, duos eligo. 1 In uno ita scribit : *Neque alia est hujus Regulæ sententia, quam septem aliarum, quas hoc Titulo concordare jam dixi . . . Quare ad eas leges dicta huc arcessi possunt*. 2 In altero in hunc modum: *Heredis & defuncti æquiparatio, adæquatio, seu exæquatio hac Regula instituitur; pariter ut septem præterea aliis hujus Tituli Regulis . . . . ac maxime concordant tres, quarum eadem est cum hac lege sententia*. Quid aliud Gothofredus his verbis evincit; quam, non posse re & opera præstare, quod in antecessum nimis divite præfatione pollicitus est? Anne culpam,

1 *In uno ita scribit*] In Commentario Leg. 72. h. t. circa finem.

2 *In altero in hunc modum*) In Commentario Leg. 120. h. t. in principio.

pam, quam aliis Interpretibus ſerena fronte appingit; in ſe, nullo quidem ſcrupulo ac metu, admittit? Sane, quod illi modeſte egerunt, victi rerum evidentia, egit & ipſe; ſed, dicto ſit venia, per fallaciam; qui ſplendide plurima lectoribus exhibuit, partes ſua poſtea deſeruit, & avida expectatione eos miſerrime defraudavit. Hic intermiſſa diſputatio: atque hoc ferme pacto, partim conſedendo, partim deambulando, & hoſce conſerendo ſermones ſuper primis duobus hujus Tituli *defectibus*, magnam diei partem non ſine delectatione conſumpſimus; prandiique abſtinentiam reddidimus tolerabilem magis; ac minus, ut plerumque accidit, faſtidioſam. Cum, ecce tibi, quatuor, ni fallor, a meridie tranſactis horis, nauta nimis præ curſu anhelans, qui proxime Neapoli advenerat, epiſtolam affert: Jenutium quærit, cui tradendam illam in mandatis habebat. Tum ego: En adſum. Et ille, nudato capite, me ſalutat: manum deoſculatur, & epiſtolam tradit. Hanc forte ſcripſit Lentulus, inquit Numicius. Ad hæc ego: Mox ſcies: en reſero. Ita ita eſt; & pöetice ſcripta eſt: jam palam lego.

C. LENTULUS. J. JENUTIO SALUTEM.

Qua nos dividimur, longa eſt mora: totque dolebam
Dilato reditu, præteriiſſe dies.
Et, ſeu lux oritur, ſeu lux dein occidit; angit
Pectora, luce orta, luce cadente, dolor.
Nam ſine te, ſociiſque tuis, mihi vivere, pœna
Redditur; & creſcet, cum mora major erit.
Fingo: nunc redeunt: nam fingere ſæpe medela eſt:
Ludor: & hoc nullam fingere præſtat opem.
Nolo tamen credas; quod ego ſolatia vobis
Invideam; ac iſtis vos caruiſſe velim.
Scito, quod mihi ſit communis veſtra voluptas:
Et cuperem, ut, quantum poſcitis, aucta foret:
Gaudeo, vos hilares placido hoc gaudere receſſu:
At durum eſt, uno non ſimul eſſe loco.

Conjunctos animo jungat præsentia, fas est:
Absentes tanto tempore damnat amor.
Hic, quid agas, nec scire volo, nec scribere cures.
Si scripto referes, tardius ipse redis.
Quodque actum est, præsens referas. Pendebimus omnes
Eloquio, lepidum quod solet esse, tuo.
Tunc narres, ut quisque suas diviserat horas:
Quantum deliciis, ingeniove datum est.
Quis fuerat sermo, seu Jura recensuit ille,
Seu fudit gratos & sine felle, sales.
Insuper hoc timeo; differs si forte redire;
Ne mare ne pluviæ posse redire negent.
Quo degis tu nempe loco, discedere semper,
Cum vis, non equidem, si furit unda, potes.
Insula, ubi cæli facies turbata videtur;
Non grata hospitibus mansio, carcer ea est.
Interea prius hæc quam detur epistola, nostros
Tu pete, responso non redeunte, lares.
Scribendique meus labor hic sit inutilis, oro;
Felix adventu redditus ille tuo.
Si veniat tamen illa; domi ne perlege: navem
Extemplo accelera: perlege, nave sedens.
Et nobis quæ sis scripto responsa daturus:
Debebis calamo parcere, voce dabis.

Cunctis arrisit ingenuus quidam in epistola nitor; & elegans ac ingeniosa simplicitas. Unum Vitellio displicuit, quod reditum nostrum festinabat Lentulus. Id mihi asperum & ingratum est, ajebat. Saltem una mecum hic paucos alios dies moram protrahite. Et tu, Jenuti, cui non difficilis vena, juxta votum meum rescribas: atque ea dexteritate, qua polles, tempera nimis importunum Lentuli desiderium; & caussas protrahendæ moræ, si non habes, utcumque poteris, finge. Non semper ea est mendaciis deformitas, ut pro re nata, modo noxia non sint, non laudentur potius, quam proscindantur. Tum ego: Date mihi breve spatium, quo steriles Musas, & longo otio rudes, ab oblivione revocem.

Quid-

Quidquid ab infæcundo ingenio veniet, vobis afferam, licet tenue ac inconditum. Socii risere: &, data venia; ut, remotis arbitris, mentem ad opus colligerem; post semihoram redeo: &, tumultuarie compactam epistolam, priusquam complico, amicis, hoc ipsum expectantibus, recito.

J. JENUTIUS C. LENTULO SALUTEM.

Tradita, quo citius redeamus, epistola mandat:
Hanc tua non scripsit dextera, scripsit amor.
Impatiens amor est: quod vult, cito velle videtur:
Ni cito fit, læso manat amore dolor.
Hoc equidem nosco: & grates tibi reddere par est:
Nam lætor, quod nos tam vehementer amas.
Ad celerem reditum multis rationibus urges:
Respondere vetas; sed remeare jubes.
Ingenio miscetur amor. Rogat iste; sed illud
Vincere non una nos ratione studet.
Id foret expletum; ni caussa potissima paucos
Cogeret hisce locis continuare dies.
Tu modo sis judex: recte tu judicis imples
Munus: dic, utrum caussa sit æqua moræ.
Flagitat hoc nimiumque rogat Vitellius. Olli
Quis neget hoc; nobis cum nihil ille neget?
Nos sumus in bivio. Reditus, mora, displicet æque;
Tu reditum velles, vellet & iste moram.
Dividit affectus quod postulat alter & alter;
Quos dispar votum, par tamen urget amor.
Discessum hinc celerare, illinc tardare vetamur:
Ut celer hunc lædit, sic tibi tardus obest.
Hic retinere cupit; tu nos acquirere. Constat,
Jus esse huic melius, deteriusque tuum.
Namque ubi lis dubia est, vincit, qui possidet: illum,
Qui petit, excludi, lex tibi nota cavet.
Id ludens scribo. Ratio, qua torqueor, una est:
Ne, bene qui meruit, nil meruisse putet.

Parce

Parce igitur, si nos reditum differre coacti,
Non faciles jussis possumus esse tuis.
Immo probes, ut spero; vides nos cedere amico;
Cui ni vellemus cedere, culpa foret.
Ne, precor, hoc parvum tempus tolerare recuses:
Carior adventus, quem remoramur, erit.
Et quamvis locus iste a te nos dividat; ingens
Non divisa tenet mutua corda fides.
Assidue de te loquimur: te semper habemus
Ante oculos: tua laus semper in ore sonat.
Nunc, siqua a nobis sunt jussa explenda, jubeto:
Et tu, cui carum est nos valuisse, Vale.

Plaudunt amici: & Vitellius, Optime, inquit, scitissime ac subtiliter. Sed, uti sollertiam miror, Jenuti, qua Lentulum demulces, & ad sustinendam moram suades: ita nimiam non video, quam extollis, meam erga vos observantiam: hanc enim, nec meo desiderio respondentem, nec merito vestro parem existimo. Ego, post commendatam Vitellii modestiam, complico epistolam, & nautæ trado, C. Lentulo reddendam: item ei præmium do, quo curam, quam præstitit, in ipsius Lentuli afferendis ad me litteris; diligentiam, quam spondebat, in meis ad illum asportandis, remunerarem.

Primo diluculo, quod amœnissimum nova dies attulit; tepido Sole, nullisque auris obstrepentibus, placida ac mitis reddita, Vitellio in mentem venit, nos in locum traducere; ubi novum oblectamenti genus ex amabili quodam horrore nobis quæreret, ut putabat ipse; non, ut inde nos experientia cognovimus. Et jam pedem, inquit, e tecto efferamus: lux hodierna ad id invitat. Lustrabimus nemus Q. Lucii Severi; qui, dum vixit, quam, in cognomento indicabat, severitatem, in morum disciplina rigidam eximiamque servabat. In hac remota ac taciturna hujus insulæ parte moram plerumque agebat, incomitatus, nullam aliorum amans societatem, admisso tantum suarum meditationum fidissimo con-

contubernio, quas ille vultu pallido ac macilento, gravi ſupercilio, & languentibus, ſemperque ad cogitandum inclinatis oculis, quacumque ibat, ubicumque morabatur, ſecum una, tamquam domeſticam familiam, gerebat. Tunc nos: fac te ducem; quo lubet, proni in arbitrium tuum, ſequemur. Statim itur: &, poſt horam circiter, illuc pervenimus. In primo ingreſſu funeſta loci facies noſtrum cœpit ignota quadam formidine pectus occupare. Altæ hic, & longo ordine poſitæ funereæ cupreſſus; immenſa quædam, & longævæ ætatis dote firma ac robuſta querceta; atque omnis inutilium arborum copia, quæ cælum undique tetris frondibus obnubilat; tum ſequaces hederæ, circa ſemirutos, muſcoque veſtitos parietes, diffuſis ac complicatis ramis affixæ; & veluti virides ac ſpiſſi imbres humi cadentes; myrtus etiam, numquam tonſorem experta, reddita, ob culturæ inopiam, maximum errantium viarum impedimentum; ſpectantibus opacum undequaque ac mæſtum exhibebant totius nemoris ambitum. Rivulus ipſe, qui gelidis nitidiſque ſerpebat aquis, denſiſſima tectus umbra, & pavido murmurans ſuſurro, nec lumina læto aſpectu, nec aures ſuavi concentu recreabat; ſed, concepto quodam difficili anhelitu, ſpiritum intra fauces intercludebat. Querulus ibi avium cantus, eo ingratior, quo frequentior; etiam earum, quæ alibi in aprico animum oblectarent; illic, mutata vocis indole, triſtitiam augebant diffundebantque. Aura, aut furioſius obſtrepens, immiti fragore reſiſtentia verberabat arbuſta; aut mitius perflans, planctus & ſuſpiria imitabatur. Parvum inde atque inconditum apparuit ædificium, anguſtum, ſubobſcurum; ſtatio quæ fuerat Q. Lucii Severi, ad vivos conſepeliendos apta, quam præſtandis vitæ commodis opportuna. Triplex ibi ſuper triplici ædium ingreſſu inſcriptio. Hæc in medio:

QVOD.VIXI.NIHIL.EST.QVOD.VIVO.LABILE.VITAE
QVOD.SVPEREST.DVBIVM.SIC.BENE.DISCO.MORI

A dextra hæc alia: SOLUS

SOLVS. EGO. VENI. DISCEDAM. SOLVS. AB. ORBE
QVID. MIRVM. HIC. VIVAM. SI. MIHI. SOLVS. EGO ?

Postrema denique a læva:

LAETITIA. HIC. NVLLA. EST. NAM. QVAEVIS. FALSA. VIDETUR
SI. VERAM. INVENIES. HANC. MIHI. PANDE. SEQVAR

Altero in angulo tumulum conspeximus, in quo carissimæ uxoris cinis, cum hac epigraphe.

PAPYRIAE
CONIVGI. DVLCISSIMAE
CVM. QVA. PAX. DVM. VIXIT
IDEM. POST. OBITVM. AMOR
AC. SI. VIVERET
Q. LVCIVS. SEVERVS
PRISTINAE. CONCORDIAE. MEMOR
PERPETVAE. FIDEI. TENAX
POSVIT
DILECTI. CINERES. ANIMA. INCOMPARABILIS
HOC. HABETOTE
MARITALIS. OBSEQVI
PIGNVS. NOVISSIMVM

In altero parvulam urnam vidimus, in qua unici tenelluli filii mortales exuviæ, hoc supremo insculpto elogio:

SEX. LVCIO. SEVERO
QVI. OCTENNIS. MEAE. SPEI. MORITVR
NVMQVAM. MEO. DOLORI. MORITVRVS
Q. LVCIVS. SEVERVS
TVRBATO. ORDINE. NATVRAE
NON. MELIORIS. FORTVNAE
QVAM. LACRIMARVM. HERES
INFELIX. PATER
VNICO. FILIO. DESIDERATISSIMO P.

Tot

Tot luctuosæ rerum imagines nimia nos omnes perturbatione agitarunt. Quare L. Pinarius, impatiens sustinendi molestum hunc aspectum; deposita, quam diu servaverat, modestia; verecundum in hæc verba rumpens silentium, inquit. Pace tua dicam, Vitelli; quo nos duxisti? Si hic ulterius degam, para sepulcrum: jam anima deficit. Tunc Vitellius: Dolet, hoc suscepisse consilium: id vobis tam ingratum fore, non suspicabar; ea opinione ductus, quod insolens non est, etiam in monstris, curiositas: in quibus non voluptas quæritur; sed quædam excitatur insuetæ novitatis admiratio. Ut ut se res habeat, me facti pœnitet. Sed facile quidem est propositum emendare. Procul hinc eamus: meliore forte commutabitur locus. Accedite. Viam ipse, aliquantulum vos præcedens, demonstrabo. Jam nulla mora est: aufugimus: & parvo quodam superato colle, in planitiem venimus. Ibi sacra ædicula, nescio cui ex Cœlicolis dicata; cujus ante fores, ex lapide sedilia; & in semicirculum platani, ad quærendas, fervente Sole, faciles umbras dispositæ. Hic, hic immorabimur, inquit Pinarius: hic spiritus certe integer vitæ restituitur: hæc statio gratissima: hoc in loco amica luce frui credimus; non jam inter mortuos commisceri: libere cæleſtes auras spiramus; & quodam pasci nectare, dum hunc äerem bibimus, liquido experimur. Ad hæc ego: Si ita est, otiemur hic tantisper; nec statim elegantissimum locum, qui plurimum arridet, relinquamus. Et, ut suum otio pretium accedat: nec a voluptate sejuncta sit utilitas; Nautius efficiet, sui nimirum sermonis continuatione. Duos, qui modo supersunt, Tituli Regularum Juris *Defectus*, prætermissum nempe in hisce disponendis Regulis *Ordinem*, & nonnullarum ex his *Obscuritatem*, ut promisit, in præsens exponat. Non recusat Nautius, numquam dictis nostris parum audiens. Consedimus: & ille sic incipit. Maxima quidem ordinis virtus ac præstantia est: plus eo res patet, quam explicari opus sit. Hoc sine adjumento nulla disciplinis dignitas, nullus usus. Quod comparatione nostrorum corporum, aliorumque anima-

lium

lium, 1 belle explicat Quintilianus. Ordo enim est recta illa ac elegans rerum sententiarumque collocatio, quæ prioribus sequentia adnectit; media, extremis respondentia, componit; alterum ab altero pendere, curat ac sedulo studet: nihil, necesse est, habeat inane; nihil inconditum; nihil curtum; nihil claudicans; nihil redundans: ita sane, ut uno vinculo disposita doctrinæ series, suoque lumine resplendens partium distributio, tenebras obscuris expellat, facilioribus nitorem conciliet, membra distinguat, suis in locis afferat definitiones, vel sobrie pro ornamento, vel fuse pro necessitate; perspicue semper, numquam confuse. 2 Non frustra opinatur Plato, quamdam ordini divinitatem inesse: quippe nihil homines, mente præditi, ea scilicet parte, qua Deo assimilantur, imitatione supremi Numinis, quod omnia procedere certa quadam ac invariabili lege decrevit, præstare possunt nobilius; quam illam in rebus singulis dispositionem; unde eluceat fulgida ac decora ipsius mentis consonantia; & cogitationes, vel nobiscum una natæ, vel extrinsecus quæsitæ, sine discordia & perturbatione invicem conferantur; &, eodem veluti intuitu, etiam ea, quæ dissita sunt, & quodammodo pugnantia, tamquam conjuncta & uno filo colligata, nitide conspiciantur. Nihil turpius, & humano ingenio infestius, quam, furen-

1 *Belle explicat Quintilianus*) Instit. Orator. lib. VII in Præfatione *Siquam in corporibus nostris, aliorumque animalium, partem permutes, atque transferas; licet habeat eadem omnia; prodigium sit tamen: & artus etiam leviter loco moti, perdunt, quo viguerunt, usum: & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento: nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putent; quo confuso, peritura sunt omnia.*

2 *Non frustra opinatur Plato, quamdam ordini divinitatem inesse*) In duobus ethicis Dialogis, altero, inscripto, *Philebus*, qui est de *Voluptate*; inscripto altero, *Phædrus*, qui est de *Amore*.

furentis in morem, hac illac excurrere: nescire, quo quis eat; ubi consistat; qua parte res incipiat; qua deflectat; qua desinat: desiderare, quæ non inveniuntur; præ oculis habere, quæ nauseant: suo loco detrusa, ubi decorem servarent, quædam intueri; alia illuc traducta, ubi sedem occupant infauste. In has syrtes navem impegit Tribonianus. Regulas male collegit; pessime disposuit: negligens in perquirendis; turbidus in componendis. Sese ferat, qui velit, in hujus Tituli labirynthum. Caveat tamen, ne, uti facile ingrediatur, ita difficile gradum inde revocet. Ariadnam prius quærat, quæ filum præbeat; postea iter suscipiat; ne cum periculo ludere videatur. Statim, ac quis ad has Regulas oculorum aciem convertit ni confusa omnia & implexa fateatur, miraculum est. Ab ovo ad mala, nihil continuum, nihil æquabile, nihil bene instructum, nihil venuste terminatum. Jus personarum, sive hominum statum, nunc exequitur Tribonianus, nunc deserit: iterum hoc tractat, iterum relinquit: de rerum natura modo disserit; inde tacet; postea ad eam redit; pari inconstantia discedit. Sermo de contractibus desinit in testamenta: cum de obligationibus verba facit, emergunt delicta. Specialia, quæ generalibus postponuntur, turbato situ, anteriorem locum acquirunt. Exceptiones longo intervallo ab ea sede aberrant, ubi forent pro re nata memorandæ: plerumque separantur conjungenda; conjunguntur separanda; cum necessariis inutilia admiscentur; & fastidiosis excursibus succedunt mutila quædam ac decurtata. Hoc loco Numicius ait: In rebus ordinem non improbo: mihi sana mens abesset, si aliud sentirem. Sed non in omni Facultate, uti desideratur maxime, ita facillime obtinetur. Vos probe nostis, 1 gravissimorum virorum

1 *Gravissimorum virorum opinione*] Ita videtur Tullius sentire in oratione pro Muræna, ubi asserit, in re admodum tenui versari Juris scientiam; existimatque, nihil

rorum opinione, incommodum hoc, ordinis tam curiose ac subtiliter quærendi, nimium esse ab Jure Civili alienum. Ars ab eo longe abest; quæ aut difficile invenitur; aut inventa, obstat potius, quam juvat: non enim in rebus abstrusis, & a sensu remotis, nostrum Jus versatur; sed in iis, quæ ante oculos posita sunt, & usu ac experientia passim colliguntur. Quamobrem si nimium studium adhibes, euntium cursum potius impedis, quo impliciti labantur; quam dirigis, ut tuti ac incolumes incedant. Noxia est scrupulosa quædam diligentia, quæ animos libere discurrentes frenat ac cohibet: & severa præceptorum observantia aridus ac dejectus fit spiritus; qui promtior alacriorque evadit exemplorum ubertate. Bona verba, quæso, inquit Nautius. Prorsus ignota mihi non est nonnullorum isthæc periculosa ac futilis sententia, qui indocilem sustinendæ artis Jurisprudentiam credunt. Sententiam hanc lubenter desero; immo viriliter exprobo, ut aliam longe tutiorem, & eximio patrono dignam, excipiam ac amplectar. 1 Ea est M. Tullii Ciceronis, qui nimis splendide ostendit, eadem illa ratione ac via, qua pleraque alia, quæ dissoluta ante fuerunt, constricta inde & coacta sunt; posse etiam ea, quæ Civili Jure sunt constituta vel recepta, conglutinari, atque ad artem redigi. Ipsemet Cicero 2 Servium Sulpicium, qui primus artem ad Juris

nihil difficultatis, obscuritatis nihil in ea versari; ut vel triduo Jurisconsultum se profiteri glorietur. Sed hæc asseruit Cicero, cum oratorem ageret, ut caussæ serviret; cui licuit, cum pro Muræna diceret contra Servium Sulpitium, magnitudinem rei, verbis, non animo extenuare. Satis enim compertum est, quantum ille huic studio tribuerit; & luculenta ejusdem de præstantia hujus Facultatis extant testimonia lib. I. & II. de Orat. & in Philipp. IX.

1 *Ea est M. Tulli Ciceronis*,] In lib. I & III de *Oratore*, & in Philipp. IX.

2 *Servium Sulpicium*,] De hoc eximio Jurisconsulto

Juris Civilis studium attulit, cæteris Consultis omnibus antepofuit : *Omnes*, inquit, *ex omni ætate, qui in hac Civitate intelligentiam Juris habuerunt, si in unum locum conferantur, cum Servio Sulpicio non sunt comparandi*. Et alibi : *Existimo Juris Civilis magnum usum & apud Scævolam, & apud multos fuisse; artem in hoc uno: quod numquam effecisset ipsius Juris scientia; nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret, rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo; obscuram explanare interpretando; ambigua primo videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera & falsa*

F

to hæc habet J. Vinc. Gravina lib. I de Ort. & Progr. Jur. Civil. cap LXIV : quæ collegit ex Pomp. L. 2. D. de Orig. Jur. §. 43 & ex Gellio lib. II cap. 10. *Ciceroni fuit communione studiorum, & voluntate in Republica administranda conjunctissimus, quem sibi Sulpicius eloquentia præstantem, superare Jurisprudentia voluit: ad quam eum adpulit objurgatio Q. M. Scævolæ, qui a Sulpicio de cujusdam amici negotio interrogatus, cum semel atque iterum respondisset, & Servius imperitia Juris non adhuc perciperet; indignatus parumper, turpe, dixit, esse patricio & nobili, & caussas oranti, Jus, in quo versaretur, ignorare. Itaque Servius pudore affectus, ad Jus Civile se contulit; adeoque brevi profecit, ut omnibus ante se Jurisconsultis antecelleret; ac superavit facilitate Gallum, consilii celeritate Lucilium; id, quod erat in utroque præstantius, ad se pertrahens. Hoc etiam omnes Jurisconsultos vicit; quod Jurisprudentiæ, usu potius & moribus enutritæ, quam arte, ipse addidit comitem atque adjutricem Dialecticam: qua res dissipatas coegit in propria genera; generibusque suas subtexuit partes: inque suum ordinem scientiam eam descripsit universam: ut mens antea errabunda, recta pergeret via; usuque definiendi, distinguendique, fallacias captionesque declinaret.*

falsa judicarentur; & quæ quibus propositis essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Antonius Faber, qui tantum ingenio & acumine valuit, quantum nemo alius, 1 Jurisprudentiam certa habere principia non minus ac mathematicas disciplinas, autumat; & in ordinem illa componi posse, opinatus est, & tentavit: utinam perfecisset. Interea Pinarius, tuis, Nauti, dictis assentior, inquit: &, pace tua dicam, Numici, ab sententia, quam foves, cogor discedere. Si reliqua deessent argumenta; unum habeo eximium ac palmare; quod, uti una ex parte Tribonianum extollit, altera deprimit. Hic enim Jurisconsultus nitidam illam dispositionem, quod unice artis beneficium est, malo quidem suo fato, totam huic Titulo detraxit; omnem *Institutionibus*, primis nempe Juris Romani elementis, 2 summo ornatu ac elegantia, tribuit: sibi dissimilis in utroque Opere: in quo, uti par erat ordinis necessitas, par quoque erat speranda ejus industriæ constantia. Cumque *Institutiones* & *Regulæ* Juris, uti meum est judicium, quidquid alii sentiant, ita inter se invicem conveniant, ut illæ Legum studio principium dent, finem istæ: alteræ juvenes hujus facultatis cupidos instruant; alteræ in hac scientia adultos confirment: utraque unius Scriptoris elucubratio incolume hoc concinnitatis

1 *Jurisprudentiam certa habere principia, ac Mathematicas disciplinas autumat*) Antonius Faber in vestibulo Jurisprudentiæ Papinianeæ multa ad lectorem suum hoc super argumento fuse ac docte differit.

2 *Summo ornatu ac elegantia, tribuit*] Eruditorum omnium judicio, nihil est, quod ex libris Juris superfit elegantius ac selectius, quam *Institutiones*; si tamen, ut aliqui putant, e contextu veterum Jurisconsultorum mixtura discutiatur recentioris ætatis, in qua prodierunt.

tatis deberet custodire patrimonium, æquali perspicuitatis sorte frui, eadem dignitatis prærogativa dotari. Tunc Nautius: Opportune hæc affers, Pinari: in rem cadunt adamussim; & in nostrum propositum optime collineant. Addo, hanc Triboniani negligentiam quosdam adegisse Interpretes, ut ea, qua possent, ope ac subsidio, in commiserationem eorum, qui hunc involutum Titulum legunt, tantam injuriam repararent. Inter alios, Petrus Peckius, vir, si non singularis, non aspernandæ tamen doctrinæ, tenui quidem labore, sed non inutili, Regulas Civilis & Canonici Juris, juxta elegantem illam seriem partitus est, quam servant Institutionum Tituli, perbelle dispositi. Hoc pacto, Regulæ in suas classes facili negocio distributæ, ubi eas singula revocant argumenta, ante oculos obversantur; & corpus exhibent, ingenua quadam pulchritudine ornatum, partesque ostendunt, tamquam membra, naturali positione collocata, & amico ligamine cohærentia. Dum hæc mutuo disserebantur; sic ego ad Nautium: Viditne noster Gothofredus implicitas hasce vias, quas incauto pede terit suus Tribonianus? Exprobat ne, an laudat? Accusat, an commendat? Profecto vidit, respondet Nautius: nam quis, subnectit, non vidisset; nisi qui vel obtusi ingenii sit, qui nihil prorsus videat; vel sublestæ fidei, qui videt omnia, ut vult, ut fingit, ut inepte interpretatur? Verum enimvero duas hac in re sustinet partes Gothofredus: Excusat primum; inde defendit. Excusat, ea nempe ratione, quod, si prætermissus ordo culpam Triboniano ingerat; hæc ipsa cum 1 gravissimis

F 2 Scri-

1 *Gravissimis Scriptoribus, qui parum Ordini studuerunt &c.*) Ita Gothofr in Præfatione: *Ordo certe aliquis in his Regulis collocandis servatus; paullo certe melius, quam alibi miscellæ sententiæ, nullo, nisi fortuito ordine, indistincte atque promiscue, indigestæ, sparsæ locatæque occur-*

Scriptoribus, qui parum ordini studuerunt, communis sit. Quare aut nemo arguendus, aut omnes damnandi. Defendit vero alia via: &, licet is desit ordo, quem vulgus desiderat; interior tamen, ut ipse putat, latet absconditus; quem, tamquam novus inventor, detegit; reliqui, parum oculati, antea non animadverterunt. Quæso, expendamus, an feliciter utrumque impleat munus, quod suscepit, acerrimus Triboniani patronus. Contendit igitur (en prior suscepti muneris pars) tum Pöetas, tum Philosophos nequaquam ordinem, in sententiis, seu quibusdam generalibus dictis in medium producendis amasse. Hinc nil mirum, horum calcasse vestigia Tribonianum. Fallitur certe his exemplis Gothofredus. Plane non judicat, quanto distent intervallo a Pöetis & Philosophis Jurisconsulti. Pöetæ pingunt; variosque, quibus utuntur, colores aptant; ubi decentius isti lumen accipiunt; & ex arte confusi ac permixti majorem præseferunt leporem ac dignitatem. Philosophi monent; iisque locis præcepta bene vivendi caute diffundunt, ubi viam parat multiplex, quæ emergit, occasio; & proprio situ sparsa, ubi ea, quam tractant, postulat materies, præstantiorem vim obtinent; animum opportunius invadunt, & armis vincunt potentioribus. Jurisconsulti vero docent: & sua doctrinæ dos corruit, quoties ordo aut parum excolitur, aut omnino deseritur: quem si demas, quamvis multa discantur, nihil recte discitur; & cognitiones, quæ ex turbido fonte hauriuntur, pondere suo gravant, non sua utilitate proficiunt; nec mentem solido ac pingui ditant adjumento. Nunc gradum facio ad alteram suscepti a Gothofredo muneris partem, qua Triboniani famam strenue tuetur, & magnifice extollit. Alium in disponendis Regulis ordinem a Tribo-

currunt: cujusmodi erant Pythagoricorum ὑποθῆκαι, *sunt & Pôetarum, Hesiodi, Phocylidis, Dionysii, Catonis, ubi sane* παραινέσεις, παραγγέλματα, *dicta, nulla materiarum* ἀκολουθία *disposita extant.*

Triboniano servatum, a se, uti gloriari videtur, repertum, indicat. Fatetur, res pro qualibet materie, quæ exponitur, non accurate per suos gradus procedere: Tribonianum vero sequi voluisse Tractatuum distinctionem, quos veteres Periti compegerunt. Hoc pacto, ostendit, *Sabinianas* Regulas, eas nempe, quæ ex libris Jurisconsultorum ad *Sabinum* scriptis, desumtæ sunt, primis quadraginta hujus Tituli Legibus contineri: tum *Edictales*, e libris ad *Edictum* compositis excerptas, intra legem quadragesimam primam usque ad quinquagesimam septimam concludi: 1 atque hoc modo reliquas, e

 variis

1 *Atque hoc modo reliquas, e variis fontibus ad hunc alveum traductas*) Hic est Ordo, seu partitio Regularum, ex antiquis Jurisconsultorum Tractatibus, ut excogitat notatque Gothofredus. *SABINIANÆ Regulæ* 44. *ex libris commentariis ad Sabinum desumtæ, comprehensæ primis* 40. *Legibus*. *Regularum EDICTALIUM pars* 7. 8. 9. 10. 11. *ubi continentur Regulæ viginti,a* L. 41. *ad* L.57. *inclusive*. *E DISPUTATIONUM OPINIONUMQUE libris Regulæ quatuor*, L.58. 59.60.61. *Juliani Regulæ sex, e libris ejus DIGESTORUM desumtæ*; L. 62. 63. 64. 65. 66. 67. *MISCELLÆ Regulæ decem ex variis & brevibus Jurisconsultorum libris* L. 68. 69. 70. 71. 72. *MUCIANÆ Regulæ quinque, ex Q. Mucio Scævola*, L. 73. *PAPINIANI Regulæ decem ex Papiniano,a* L.74. *ad* 83. *inclusive*. *E PAULLI, & SCÆVOLÆ Quæstionibus & Responsis Regulæ duodecim, a* L. 84. *ad* 92. *inclusive*. *FIDEICOMMISSARIÆ Regulæ quatuor ex libris Fideicommissorum*, L. 93. 94. 95. 96. *MISCELLÆ Regulæ aliæ quinque ex brevibus Jurisconsultorum quorumdam libris* L. 97. 98. 99. 100. 101. *EDICTALIUM Regularum pars* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 14. 15. 16. 17. 18. *& pars* 12. 13. *ubi centum Regulæ & una insuper continentur, a* L. 102. *ad* L. 167. *inclusive*. *PLAUTIANÆ Regulæ viginti duæ, ex libris ad Plautium desumtæ*, a L.

variis fontibus ad hunc alveum traductas. O magna, hercle, excogitatio, quæ hasce occultas divitias diligenter investigavit, & in lucem feliciter protulit! Vereor ne, quidquid hoc sit, miserum evadat ac mendicum. Non enim quærimus, quale Triboniani fuerit institutum; sed utrum, quod perfecit, hoc ipsum prosit, lucem afferat, tenebras discutiat. Id sane proposito suo non consequitur. Irritus labor est, ea distinctione Regulas donare, quæ ex distinctis Jurisconsultorum Tractatibus manat; in quibus plerumque non una materies disquiritur; & Regulæ intermiscentur vagæ, & oberrantes, 1 nulloque inter se vinculo conjunctæ ac respondentes.

a L. 168. *ad* 180. *inclusive. VITELLIANÆ Regulæ duæ ex Paulli libris ad Vitellium L.* 181. *&* 182. *E DIGESTORUM Marcelli & Celsi libris Regulæ undecim, a L.* 183. *ad L.* 193. *inclusive. MODESTINI Regulæ quatuor, L.* 194. 195. 196. 197. *JAVOLENI quinque Regulæ L.* 198. 199. 200. 201. 202. *POMPONII quatuor Regulæ, L.* 203. 204. 205. 206. *PAPIÆ Regulæ tres ex Commentariis ad Legem Juliam & Papiam, L.* 207. 208. 209. *LICINII RUFINI Regula unica, L.* 210. *EDICTALIUM Regularum racematio unica, L.* 211.

1 *Nulloque inter se vinculo conjunctæ ac respondentes*). Ut hoc, quod afferitur, pateat exemplis, sumantur primæ hujus Tituli Leges, quæ sunt, teste Gothofredo, ex Regulis *Sabinianis*. Dissitæ maxime sunt ob varium argumentum, cui sine ullo ligamine referuntur. Agit enim L. 2. de fœminis & impuberibus, qui ab officiis civilibus vel publicis removentur: L. III De patientia, & cujus ea proprie dicenda, ratioque habenda sit: L. IV De voluntate obsequiosa; utrum pro vera voluntate ea accipienda sit: L. V de furioso & pupillo negotium contrahente, & differentia inter eos: L. VI De repudiatæ hereditatis indicio: L. VII De testati & intestati pugna in bonis paganis: L. VIII De jure sanguinis

tes. Quæ igitur hinc perſpicuitas comparatur, unice neceſſaria ad mentem illuſtrandam, ut cuncta nitide cognoſcat; & ad juvandam memoriam, ut cuncta tenaciter cuſtodiat? Ordo ac diſtinctio ex re ipſa, quæ in diſputationem venit, oriatur, neceſſe eſt: &, ubi unum cadit argumentum, illuc omnia confluant, oportet, quæ eo ſpectent: Nec, priore loco aut poſteriore, præcoce aut tarda diligentia, apponi decet, quod ſemel in ſuam ſedem debet opportune conferri, & ibi congrue aptari; a qua quidquid divellitur, & extra ſuos fines vagatur, ordinem frangit coinquinatque. Omni caret utilitate, ſuoque fraudatur eventu, fontes quærere, unde Regulæ deducantur; nexu tamen eas ſolvere, quo mutuam ſibi explicationem communicant; & doctrinæ ſeriem perpetuo fœdere conſervant ac nobilitant. Vanum eſt, varias demonſtrare aquarum origines, unde ſingulæ, diverſa virtute pollentes, profluant; ſi poſtea in curſu invicem confuſæ ac complicatæ, atque prorſus amiſſa vi & præſtantia, turpiter marceſcant; & primævum nitorem, abnormi mixtura, aut amittant, aut corrumpant. Pro re foret, ab unaquaque, ſuis diſtributa canalibus, aliarum conſortium caute vitari; intactamque, ac nulla ſtupratam nocua ſocietate, dotem ſuam retineri. Rurſus ego ad hæc: Bene eſt, Nauti, diſſeris more tuo; egregie ſcilicet ac docte. Sed ille a te mihi ſcrupulus eſt evellendus; an Tribonianus ordinem, qualiſcumque

guinis: L. IX De obſcuri interpretatione: L. X De commodi & incommodi analogia, ſeu mixtura: L. XI De dominii in alium translatione: L. XII De teſtamentorum interpretatione: L. XIII De eo, qui cepiſſe videtur, & de vi exceptionis: L. XIV De die non adjecto in obligatione: L. XV De imaginaria venditione. Hæc ſatis; ut quiſque videat, quo pacto, ex uno ad aliud excurratur argumentum; omni prorſus excluſa rerum continuatione: quod vitium, in hujus Tituli curſu, creſcit potius, quam minuitur.

ſit, quem ſequi maluit, perfecte ſaltem expleverit? Utinam, inquit Nautius, minor foret culpa, ſi obliquam, quam iniit viam, conſtante gradu percurriſſet. Graviter ſuo defuit muneri, in ea eligenda; gravius, in deferenda: quæ enim ex malo ſuſcepto itinere naſcuntur ambages, variando adoleſcunt. Sæpe a ſuo inſtituto deflectit Tribonianus; & Proteum imitatus, non raro multiformem accipit figuram. Nullum aliud, ad adſtruendam huic meæ aſſertioni fidem, teſtimonium quæro; nullum aliud admitto, quam quod ipſemet perhibet Gothofredus. Hic inconſtantiam hanc, non adeo Triboniani amore perfide cœcutiens, 1 plurimis in locis vidit, & ingenue

1 *Plurimis in locis vidit*) In ſecunda Regularum Collectione, ubi incipit Comm. L. 4. ad L. 57. & continentur viginti Regulæ Edictales, ita Gothofredus: *Edictales Regulæ quædam ſequuntur, deſumtæ ex libris Commentariis Caji, Ulpiani, Paulli ad Edictum; neque tamen ex primis adhuc eorum ad Edictum libris, verum ex mediis; quæque adeo Regulæ melius inter L. 138. & L. 139. infra poſitæ fuiſſent; quam ut hodie hoc loco; de qua luxatione dicam plenius in progreſſu L. 102. & 139. infra. Quare ſex aliæ partes Regularum Edictalium HAS ANTEVERTERE debuerunt, quæ jacent a dicta L. 102. ad 139. quas hæc ſeptima excipere debuit*. Inſuper, in undecima Collectione, ubi centum & una ex iiſdem Edictalibus Regulis comprehenduntur, videlicet a L. 102. ad 167. Gothofredus ſcribit. *Quamquam neſcio, quomodo factum eſt, ut jam ſupra viginti Regulæ Edictales ſeptemdecim legibus propoſitæ extent a L. 41. ad L. 58. QUÆ INTER LEGEM 138. & 139. ſervato librorum ordine, COLLOCARI OMNINO DEBUERUNT. Quæ quidem PARTIUM LUXATIO cur evenerit, quæri poteſt. Putet quis id eodem vitio factum, quo Lælius Taurellus, & Ant. Auguſtinus paginas quaſdam extremas Pandectarum Florentinarum miſere disje-*

genue profitetur ; ac intercisum illum , quem suscepit, ordinem , sine fuco ac fallacia demonstrat . Interea veniam peto ; si forte acerbior , quam par erat , in Tribonianum ac Gothofredum fuerim . Teneo , quod veritas odium parit , obsequium amicos ; ex veteri dicto , quod in ore vulgi est . Sed satius duxi , vobis postulantibus, rem , uti sentiebam , candide exponere , quam , odii suspicione , Scriptorum vitia dissimulare . Si tamen in hisce pertractandis quæstionibus per me peccatum sit ; vicissim peccavimus . Injusti oneris , supra meas vires a vobis impositi, culpa vestra est : mea vero , inconsulto recepti ; quod pro tenuitate ingenii mei , recusare viriliter debebam . Ne plura , Nauti ; tunc ego . Quanti sis, cuncti scimus : quam sapienter de rebus omnibus differas, tuo non stamus judicio ; quod tibi meritum injuste minuit ; nostro stamus, qui in te & exemplorum copiam, & splendidum acumen , eximiumque leporem videmus ; &, ut par est, magnifice extollimus. Cæterum, dies altior crevit . Locus licet pulcherrimus , ubi sumus , quique hactenus sub matutinis frigidulis horis valde arrisit; ingravescente jam Sole , nos expellit · Discedamus . Domi , sub vespere, Nautius postremum , qui superest , hujus

disjectas fuisse memorant ; *quod etiam alibi , veluti in Nonio Marcello* , *evenisse observant viri docti ; & exinde quoque hunc errorem hac parte natum* , *&c.* Demum in parte decima quarta Regularum Edictalium , quæ est de *Possessione* , hoc ipsum confirmat his verbis : *Hactenus sex primæ , servato Edicti ordine , Regularum Edictalium partes . Quinque enim aliæ , quæ hic CONTINUO FILO subjici debuerant;ANTICIPATO tam supra a L.* 41. *ad* 157. *propositæ fuerunt ; ut & duæ aliæ a L.* 163. *ad L.* 167. *infra subjiciuntur . Et sic INTERRUPTUS HIC TER ORDO Edictalium Regularum : ut omittam QUARTO LOCO unicam racemationem L. ult. h. t. quæ & ipsa de Edictalium numero est.*

jus Tituli *Defectum*, uti egregie alios, luculenter enucleabit. Jam omnes, cognita discedendi necessitate, consurgimus; & reditum lento placidoque incessu adornamus. Ex variis, quæ occurrebant, viam, mollibus umbris circumseptam, eligimus; & per angustam frondosamque semitam progredimur, quæ calidi aeris molestiam opacitate sua mitigabat. Medio in itinere; proh lepida sane occasio! juvenem asello impositum intuemur; qui ad se non sine curiositate nostros oculos revocabat. Erat enim floridæ ætatis, vividæ indolis, & vultus, hercle, non insuavis: lata frons, oculi ridentes, succosæ genæ, & pendentes ex utrisque temporibus flavi crines, in concinnos annulos sponte abeuntes, formam ei conciliabant supra reliquos acceptissimam. Porro, ibat in rusticanam elegantiam nimis belle compositus. Candida subucula, quibusdam suta cincinnulis; vestis nitida ac versicolor, argenteisque orbiculis distincta; pileus aureo margine circumductus, & frondibus ac flosculis non sine studio impeditus, nativam gratiam ex hoc quæsito artificio augebant. Ex lævo latere pendebat cithara, non ingratum humeris pondus, nec injucundum suis fovendis amoribus solamen. Ipse etiam asellus, tinninnabulis per collum appensis, ac late resonantibus, superbior impatiente ungula solum calcabat; & villicum, lætiore spiritu, supra insitam sibi tarditatem, extenso sursum collo, elatisque ac verberantibus sese invicem auribus, veluti in triumphum, gestabat. Vitellius ubi illum, proxime adventantem, agnovit; in ejus faciem subridens, salve, inquit, Tityre: præire si vis, sinimus; & locum lubenter concedimus. Scio, quo tendis. Corinna, scitula illa ac venustula puella, conjux mox tibi futura, te vocat; & ad se visendam allicit. Felix abi: Deus te sospitet: fausta tibi omnia eveniant, cupio. Pallet primum, ut mos est amantium, Tityrus: mox erubescit, qui color est juvenilis verecundiæ: demum, nescio quid, inter tacendi propositum & respondendi necessitatem, interrupto sermone, confuse pronunciat; quod nec impudenter negare, nec aperte fateri videtur: verum,

inno-

innocua fraude, falso miscet; &, infeliciter excusando, se potius manifesto, licet sine ignominia, accusat. Victus tandem novis Vitellii ac callidis postulationibus; rem, uti erat, deposito rubore, juxta non inanem Vitellii conjecturam, pandit. Tunc idem Vitellius Tityro inquit: Quoniam te ad pulsandam ante Corinnæ fores citharam, quam geris, video; & ad cantiunculam pro tuo non infaceto more recitandam; ito. Pone te sequemur: ne renuas, oro: in abdito inter pampineas vites & maritas comatasque populos celabimur. Ex hoc loco occulti ac taciti, omnique præsentiæ nostræ excluso indicio, sonum tua docta manu eliciendum, & molliusculum carmen concinno ore modulandum, nostris auribus non sine voluptate excipiemus. Tityrus, ne viro resisteret cunctis acceptissimo; cui & ipse multis forsan beneficiis erat obnoxius, facile petitis assentitur. Perductus itaque ad pastoritias Corinnæ ædes, ex asello, agili saltu, descendit; illumque, ne longe a se excurreret, ad arboris truncum ligat: postea citharam manibus aptat; &, prævia diligentia, chordas, vel leviter extendendo, vel paullulum relaxando, tensionem, singulis bene respondentem, curat ac componit. Statim, audito concentu, de Tityri adventu facta certior Corinna, uti reperiebatur ad domesticos usus & agelli curam, operosa, & incomposita, neglectis comis, brachiisque ad facilem laborem nudatis, ac palla circa lumbos plicata; non tamen minus formosa ac amabilis, pervolat; & ex viridi quodam cespite apparet. Quæ, ubi dilectum juvenem conspexit; furtivo oculorum motu, ac tacito gestu, meticulosi obsequii indice, eum salutat; verbisque abstinet; quorum murmure detegi pudibunda verebatur: gaudet interea sonitu & cantu futuri conjugis comiter retineri, ac suaviter palpari. Recitatum carmen plurimum arrisit: quod postea Numicius, retenta auctoris sententia, his politissimis hendecasyllabis reddidit:

O spes, o mea lux, meum levamen,
O solatiolum meum, Corinna;
Præter quam nihil est, eritque posthac,
Æque pulchrius elegantiusque.
Te vidi, & perii. Cor & medullas
Corrosit penitus nitens imago,
Quæ labris, oculis, genisque splendet;
Emendata nimis, nimis venusta,
Plena blanditiis, jocisque plena;
Major, quæ sinat exprimi loquela;
Et quæ me rapuit mihi, & redegit,
Ut, qui sim, quid agam, referre verbis
Aut vultu nequeam; immemor, meique
Negligens, memor unice Corinnæ,
Corinnæ studio unice perustus.
Quis te, flos Charitum, quis, o leporum,
Quotquot sunt, cumulus, tuique sexus
Dulcis invidia, ah! parum studeret
Longe extollere, fervideque amare?
Sed tu, quo mage digna sis amari,
Misellus timeo magis magisque;
Ne quis, me potior beatiorque,
Furetur mihi amabilem puellam,
Factus forte mea truci superbus.
Ah! tantum prohibe nefas: pudicos
Ne corrumpe, precor, Corinna, mores.
Fac, tecum liceat perenne in ævum
Vitam ducere; nilque suspicari
De nostra nimium flagrante flamma;
Una quæ foveat, resolvat una,
Post longum senium, tenax ligamen;
Quo conjuncti erimus; duplexque corpus
Uno vivere spiritu putetur:
Extinctum tumulo tegatur uno:
Impar nec sit amor, dolor nec impar;
Vel lætus redeat dies, vel asper,
Qui nostrum beet, urgeatve pectus;
Sint ambo similes utroque fato.

Ut

Ut sit pœna minor, duos fatigans;
Sit major, recreans duos, voluptas.

In ipso temporis articulo, quo canere Tityrus desiit; nos, ex compacto, & ad suscipiendam ex importunitate nostra delectationem, e latebris, in quibus incogniti morabamur, inopinato progredimur; & in eum locum, ubi ille aderat, accedimus. En turbata amantium pax; & mutua amoris officia in speciem stupiditatis confusa. Corinna, virgineo rubore accensa, & quasi improviso fulmine perculsa; utraque manu, fœmineum in morem, genas quatit; & terga præcipiti gradu vertens, e nostro aspectu indignabunda sese eripuit. Tityrus, hinc ira percitus, illinc obsequio retentus, diu, quid ageret, prorsus ignoravit. Tandem continere se minime potuit, quin proditam a nobis promissæ occultationis fidem doleret. Sed Vitellius blanditer dolorem lenit: & hasce in amoribus honestis insidias, joci caussa nectere, omnibus licere asserit: lusus innoxios nulli injuriam inferre; & in lætitiæ ac urbanitatis testimonium fraudes istas accipi debere. In hunc ferme modum mollito Tityri animo, & vale dicto, domum pergimus; ubi consueto prandio reficimur, & brevi somno parvam quietem lassis membris largimur.

Properante ad occasum Sole, ante viridarii ostium, ubi faciles auræ molliter spirabant, consedimus; atque iterum docta colloquia exordimur. Nautius cœpit de postremo Tituli Regularum Juris *Defectu*, qui est de *Obscuritate* quarumdam ex Regulis istis, verba facere: & ita disseruit. Aliud est, Amici, obscurum; aliud ambiguum: quidquid 1 apud Gellium contra sentiant Chrysippus

1 *Apud Gellium*) Noctium Atticarum Lib. XI cap. XII, ubi oppositam horum Philosophorum sententiam refert; quorum Chrysippus περὶ Ἀμφιβολιῶν duos libros conscripsit. Atque huc respexit Quintilianus Lib. VII

pus & Diodorus ; quorum alter , omne verbum ambiguum natura esse ; alter, nullum ambiguum , sed obscurum esse contendebat . Id tamen verissimum, quod non minus obscurum, quam ambiguum tenebris involvitur : illud, quia nullo modo intelligitur ; & , quid colligas , nescis : hoc, quia varie intelligi potest ; & , quid affirmes , quid neges , ignoras. 1 In obscuro, quæritur, quid dictum sit ; eoque non percepto, pro non scripto habetur . In ambiguo, utrum sit dictum ; & , dubia interpretatione, aut iners hæret periculosaque sententia, aut præceps corruit . Par in hoc lectoribus ac peregrinis fortuna ; quibus obscura est via, quam anxie quærunt, numquam inveniunt: ea vero ambigua , quæ diversis implexisque circumdata semitis , certum iter non indicat, & tutam incolumemque excludit optionem. Utroque Titulus hic de Regulis Juris plerisque in locis vitio laborat . Quædam ibi obscura , quæ interpretationem non admittunt, nisi per languidam effœtamque divinationem : quædam nimis ambigua , quæ contrariis jactata hinc inde opinionibus, mentem torquent , non illustrant; nesciamque, cui adhæreat, in ipsa tot cogitationum copia, inopem faciunt ac jejunam . Maximum hoc Jurisprudentiæ incommodum, immo summa pernicies.

In

VII cap. 10., eum inquit: *Amphibologiæ species sunt innumerabiles, adeo ut Philosophorum quibusdam nullum videatur esse verbum , quod non plura significet , genera admodum pauca* . Diodorus vero fuit Apollonii Croni discipulus , qui διαλεκτικώτατος Sexto Empirico, lib. I adversus Mathematicos cap. ult. dicitur.

1 *In obscuro &c.*) Obscuritatis & ambiguitatis differentia a Cujacio exponitur in Comm. Tit. de Pactis, ad L. *Veteribus* 39. *Obscurum est , quod nullo modo potest intelligi . Ambiguum, quod duobus, aut tribus modis intelligitur . In obscuro quæritur , quid dictum : in ambiguo , utrum dictum sit : itaque quod ambiguum , & obscurum est ; non contra.*

In facilitate posita est hujus Facultatis præstantia: lumen quærit, quo late fulgeat; nebulas fugit, ne his obsita cœcutiat. Legum disciplina non ambagibus circumsepta misere fatiscit; quibus redditur aut arida & exsucca sine viribus; aut turbida & insidiosa sine utilitate. Juvat, liberum campum percurrere; sub aperto cælo auras accipere; viva rerum imagine spiritum extollere. Nocet, per occultas latebras incertum timidumque pedem ferre; per fallaces tramites umbris & viarum errore detineri; numquam luce frui; numquam a tortuosi itineris discordia extricari. Obscuræ igitur, aut ambiguæ nonnullæ ex his Regulis evadunt, plurimis de caussis. 1 Non raro Dicta, aut quadam inopia verborum torpent, aut redundantia tument. In altera, quod addas, nescis; quod in altera detrahas, frustra laboras. Porro alibi verba ipsa valde æstuantem animum tenent; & dubio locum præbent, 2 ingenua sint an supposititia: unde luxuriantibus ingeniis ampla seges paratur in variis producendis lectionibus, quæ sententiarum inimicitias non amico fœdere conciliant, sed novis irritamentis exasperant. 3 Demum species aliquarum Regularum, quæ

1 *Non raro Dicta, aut quadam inopia verborum torpent, &c.*) Regulæ hujus Tituli excerptæ a veteribus Jurisconsultis, non omni semper fide ac nitore deducuntur. Sæpe aliquid deest; sæpe aliquid additur: quamobrem ipsæ Regulæ, aut per se inspectæ, aut suis Auctoribus comparatæ, non raro mentem torquent; & qua via interpretari debeant, facilem aditum non præbent.

2 *Ingenua sint an supposititia*) Magnum in hoc inter Interpretes prælium; qui nedum pro varia lectione pugnant; & alii Haloandrinam, alii Florentinam tuentur: sed etiam eo excurrunt, ut audeant exemplaria cerebrosa mutatione corrumpere.

3 *Demum Species aliquarum Regularum, quæ &c.*) In nonnullis Regulis, genuinam *speciem* eruere, singulis-

quæ exponuntur, internecivis Scriptorum dissidiis vexantur. Isti Regulæ, quam tractant, unam impavide aptant, & ingenuam tuentur. Illi mordicus excludunt, & adulteram prædicant. Assurgunt alii; & alterutrius facti aut acerrimi hostes, aut sollertissimi defensores, hunc laudant, hunc proscindunt; falsam unius testantur opinionem, veram alterius: & hoc litium tumultu pacem furantur intellectui; & fluctuantes majore procella exagitant meditationes. Excipiebat isthæc attente Pinarius: sed subortæ hoc loco curiositati parcere minime potuit; &, Nautium interrogando, Mone, inquit, quid de hac Obscuritate statuat Gothofredus? Cupio, a te scire, quomodo hoc super argumento sese gerat; quam in hac scena personam induat. His quæsitis ita Nautius: 1 Si Gothofredi *Præfationem* spectes, magnos, Pinari, sume animos: præclusum difficultatibus omnibus limen credas: nihil obscurum, nihil ambiguum in his Regulis invenies. Tenebras, putat ille, a Scriptorum lascivia unice inductas, qui periculum in tuto metuunt; & sæpe hostem fingunt, quem feriant; aut pompa inutili, quam perdite amant; aut inani timore, quo ignominiose rapiun-

lisque propriam aptare, non levis quidem labor est, nec semper felix. Ignari prorsus, judicio gravissimorum hominum, juxta imperitissimos extitère Græci Interpretes: a quibus appinguntur hisce Regulis *Species* absurdæ ac ridiculæ. Latini ante Accursium, ipsique Accursiani, Græcis fortasse meliores, aberrant etiam non raro. Eruditi vero, quamvis elegantia præstent; veritatis tamen non semper compotes sunt.

1 *Si Gothofredi Præfationem spectes*) In ea Auctor post expositam in cōstruendo suo Cōmentario curam, scribit: *Sic enim & Regulæ suos intra fines limitesque coercentur, ne iis abuti quisquā in Foro vel in scholis incondite, auresque everberare his Regulis fastidiose possit: Sic Enantiophana facillime componuntur: Sic Exceptionum, Fallentiarum, Limitationum, Ampliationum nebulæ compendiose dispelluntur.*

piuntur. Sed hæc omnia lubens volensque Gothofredo concederem, si vile Jurisconsultorum vulgus in hoc cœno hæreret: ignaviæ istorum tribuerem, quod pro obscuris res dilucidas, pro ambiguis exploratas acciperent. Verum alia est huic negotio facies. Clarissima Interpretum familia, cui nec acumen in cognoscendo, nec eruditio in exornando defuit, satis superque vidit, qua obscuritate, quo dubio sensu hujus Tituli leges onerarentur. Summa vi hi conantur, varias, quacumque via possint, explicationes educere: diversis pugnant inter se armis; non tamen felici semper successu. Ex prælio novus crescit præliandi ardor: nemini prospere cedit, quæ a singulis speratur, victoria: &, quæ afferuntur rationes, seu nimia subtilitate contortæ, seu soluto nimis arbitrio confictæ, rem, quam nitide explanare deberent, magis magisque turbant involvuntque. Quæso, si in propatulo harum Regularum sententia niteret, paucis indiga notis, exiguo contenta lumine; cur tantæ curæ sine compendio; cur tanti labores sine fructu? Hoc Gothofredum minime latuit, qui in sui Operis cursu, ubi difficilis ac inextricabilis quæstionis sese præbuit occasio, tot acerrimas ac irrequietas Scriptorum contentiones probe novit, & bona fide retulit. Quid hoc sane est, nisi fateri, quod ubi multum disputatur, ibi minus percipitur; ubi diffunditur magis explicatio, major ibi residet obscuritas? Nec, inter immensas hasce contentiones, in aliquo, quamvis eximio Interprete, acquiescit Gothofredus. Nugas & deliramenta non raro existimat illorum opiniones. Ferocius impetit, & contumeliis uberrime afficit 1 prima Jurisprudentiæ lumina,

G Cuja-

1 *Prima Jurisprudentiæ lumina, Cujacium, Hotomannum, &c.*] De Cujacio ita Gothofredus in Comm. L. 11. h. t. *Ex his omnibus jam patet, speciem a Cujacio ad hanc Legem non recte apponi.* De eodem in Comm. L. 14. h. t. *Ex superioribus etiam apparet, quam nihil commune habeat hæc Regula cum L. 13. sup. quam tamen utramque*

Cujacium, Hotomannum, Petrum, & Antonium Fabrum, Giphanium, aliosque, qui claro nomine superbiunt: mitto turbam minorum gentium; cui minor asperrimis dictis injuria illata est, quia meritum in his Scriptoribus longe minus. Passim in hæc acerba verba prorumpit: *Hic errat : Ille decipitur : Hic ignorat : Ille divinat : Hic unam Regulam cum alia frustra commiscet : Hic inutiliter contendit : Hic male opinatur*. Proh Superum fides! Quod majus ac luculentius Obscuritatis documentum, quam hoc ipsum; quod viri tam solidæ doctrinæ, ac exquisitæ eruditionis, fallantur, & misere implicentur? Quis non inde colliget, vanos ac imbelles tot insignium Scriptorum evasisse conatus, non ex ingenii inopia, aut industriæ paupertate; sed ex re ipsa, quæ inter caligines sepulta, quavis minime potuit sollertia vinci ac superari? Scio, profligata a Go- tho-

que etiam Cujacius eadem fidelia dealbandam, ceu similes, credidit. De Cujacio, & Hotomanno in Comm. ad L. 13. h. t. *Nam quod his Cujacius & Hotomannus quoque adnumerabant legem 15. 66. inf. erroneum est*. De solo Hotomanno in Comm. L. 6. h. t. *Tertio ex superioribus apparet, male hujus Regulæ sententiam & speciem referri ab Hotomanno ad speciem L. Pro herede 20. D. de Acquir. hered. L. 1. 2. C. de Repud. hered.* De Petro Fabro in Comm. L. 114. *Ex his jam apparet de Petri Fabri errore, qui unicum* κατὰ κοινὸν *tradi hac lege putabat.* Alibi in Comm. L. 109. h. t. *Sic igitur appa-ret, ab hac Regula sejungendam omnino L. Culpa caret. 50. sup. quam tamen eum ista commiscet vulgus Interpretum : eoque sese refert, transmissa hujus legis interpretatione; immo & Petrus Faber*. De Antonio Fabro in Comm. ad L. 6. h. t. *Postremo neque Antonii Fabri divinationem admitto, Err. dec. 70. err. 9. qui hanc Regulam referebat ad id, quod Ulpianus in fragm. tit. 19. scripsit*. De Giphanio in Comm. L. 39. h. t. *Ex his jam apparet, quam male Giphanius hic vocem MORÆ expungi voluerit, qua hic omnino necessaria est*.

thofredo aliorum super his obscuris Regulis sententia, suam statuisse; quam, sui amore captus, veram solidamque prædicat ac extollit. Scio, inquam. Sed, quid reponam, nescio. Dubitabunt certe multi de hac, quam serena fronte Gothofredus sibi arrogat, auctoritate; ignari, qua peculiari ejus fortuna fuerit acquisita, a quo propitio Numine concessa. Plurimi quidem ei pares, aliquis etiam fortasse major, tanta non gaudent felicitate: Cur ipse solus gaudeat, tamquam ad illustrandum hoc opus, post inanes aliorum labores, unice natus, morosi quidam non intelligunt. Et sane, victus aliquando ipsemet Gothofredus rerum evidentia, quamvis in *Præfatione* magnificas spes vendiderit, promissi reus, sed coactus veritatis assertor, quasdam obscuras Regulas profiteri non erubuit, excusare ausus non est. 1 Illa Papiniani Regula, quæ, *quomodo fraus æstimanda veniat*, indicat, Gothofredi animum torquet; nec scribere se continuit: *Ejus sane sensus in obscuro est: vanisque adeo emendationibus sollicitatur; & interpretationibus donatur; ut post omnes Cujacius, qui quatuor interpretationes affert, pronunciet, non recte videri hanc Regulam conceptam; &, qui eam arctius & accuratius acceperit, desiderabit in ea semper aliquid*. 2 Alia Regula, ubi

G 2 agitur

1 *Illa Papiniani Regula, quæ, &c.*) In L. 78. h. t., quæ excepta est ex libro scilicet XXXI Quæstionum: & super hujusce Regulæ lectione magna inter Cujacium & Robertum controversia excitatur. Græcis quoque in Basilicis nempe, Lib. II Tit. 8. cap. 78. & apud Hermonopulum, Lib. VI hoc tit. varia lectio appingitur, ut Regulæ sensus minus difficilis ac obscurus evaderet.

2 *Alia Regula, ubi agitur, &c.*] In L. 23. h. t. desumta ex Ulpiani Lib. XXIX ad Sabinum. Difficilem intricatamque Regulam hanc, teste Gothofredo, variæ caussæ reddunt. *Primo, veterum quoque JCtorum hac in re dissensus aliquis, legesque adeo invicem pugnantes. Dein, ambiguæ variæ-*

agitur de *Præstationibus in contractu, quo res aliena per momentum apud alium est*, satis superque caliginosa est. Ita Gothofredus: *Hanc vero Regulam intricatam difficilemque fecere, faciuntque hodienum quamplurima.* 1 Addenda est quoque ea Regula, quæ docet, *utiliter semel constituta, sæpe non infirmari ex casu superveniente*. Pugnare hanc cum aliis Regulis vidit Gothofredus; & dissidia perpendens, ita concludit: *Ut proinde hac in re certi nihil in universum definiri posse videatur: nulla certe*

variæque horum verborum, CULPÆ, DILIGENTIÆ, CUSTODIÆ, & PERICULI significationes. Tertio, variæ graduum CULPÆ distinctiones... Quarto, diversa verborum istorum, IN HIS QUIDEM ET DILIGENTIAM, tum lectio, tum intellectus. Quinto, quod Ulpianus nudam hic contractuum & præstationum divisionem facere contentus fuit, nulla Juris ratione subdita, nulla regula supposita. Postremo, quia & illa ipsa Regula seu distinctio, quam pro ratione in hac materia veteres Jurisconsulti substernebant, & substernunt hodie multi, ipsis etiam fatentibus, fallax omnino deprehenditur.

1 *Addenda est quoque ea Regula, quæ &c.*] In L. 85. §. Non est novum, h. t. quæ est ex Paulli Lib. VI Quæstionum; quæque ex multis alterius Regulæ exceptionibus conflata est potius, quam ex se ipsa Regulam conficiat. Et recte Cujacius ait, hujus Regulæ verbis, vitium alterius Regulæ significari, non Regulam constitui. Nec infrequens est in Jure, ut alterius Regulæ exceptio Regulam aliã efficiat. Exempla patent ex eodem Paullo, in iisdem Quæstionum libris, L. 10. D. de Action. emti. L. 46. D. de Acquir. rer. dom. quibus omnibus legibus, eadem formula NON EST NOVUM præmittitur, uti in laudato § Non est novum, relatæ L. 85. h. t. Demum ad firmandam hujus Regulæ obscuritatem satis est hic transcribere, quod refert Gothofredus: *Qua in re veteres alioquin quoque Jurisconsulti multum laboravere; &, ut verum dicam, vix sibi cavere satis potuerunt.*

te uspiam conciliandi ratio expresse prodita extat. 1 Præter hæc possem, nisi me tædio vobis futurum timerem, plurima alia loca in medium afferre; quibus evincitur, ipso teste Gothofredo, non paucas alias Regulas obscuritatis & ambiguitatis labe contaminari. Sed nescio, an illud clarissimo hoc Scriptore dignum sit, quod mihi in eo animadvertere contigit; quodque vobis celatum sit nolo. Hactenus, ut probe nostis, inconstantia hujus hominis, palam, ac in comperto fuit: quippe dilucidas primum hujus Tituli Regulas improvide prædicat: dein, vi ductus, mutat consilium, & aliquas tenebricosas censet ac narrat. Unum deerat, ut mobilis animi testimonium majori fastu emergeret; illud nempe, quod facillimas Regulas pro difficillimis sumeret; & hoc præstitit egregie 2 in illa Regula, quæ ita concepta est: *Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit*. Hanc alii planam obviamque credunt; & fortasse non immerito: ipse, quo numine agitatus, ignoro, aliud sentit; & a communi sententia amat discedere. En illius verba: *Postrema hæc e Papiniani Regulis, unica e libris Definitionum,*

1 *Præter hæc possem . . . plurima alia loca in medium afferre*] Præcipua sunt in L. 79. h. t. ex Hermogeniani Lib. III Juris Epitomarum, ubi agitur de Deportationis sententia, ejusque vi. In L. 121. h. t. ex Paulli Lib. XIII ad Edictum, ubi disseritur De Stipulatione, ne quid fiat, &, ut quid fiat. In L. 123. h. t. ex Ulpiani Lib. XIV ad Edictum, ubi disputatur, an lege agere alieno nomine quis possit; quæ tamen lex una cum nonnullis aliis velut obscura, a *Basilicis* abest: par quoque obscuritas in ejusdem legis §. *temporaria*; ubi mentio fit de temporaria permutatione provinciæ. Nec alia obscura loca diligentius quærenti desunt; ne omnia hic fuse congerantur.

2 *In illa Regula, quæ ita concepta est*] In L. 83. h. t. ex Papiniani Lib. II Definitionum, ubi agitur, quid amittere quis videatur.

num, *uti logicum seu topicum sensum continet; ita & facilem vulgo creditur habere sententiam*; *quod tamen non ita est*: *Neque enim eo tendit*, *quo tritum illud Logicorum axioma*, *quod privatio præsupponat habitum*, *quo pertinet sane lex* 208. *infin. h. t. Quare verum ejus sensum*, *genuinamque speciem & quæstionem nondum apponunt Interpretes*, *neque Græci*, *neque Latini*, *immo ne Cujacius ipse*. Jam, quidquid, per summa veluti capita, de hujus Tituli *Defectibus* dicere proposui, expletum est.: non docte, non eleganter: video: breviter tamen; ut imbecillitatem suppleret prudentia. Majora ab aliis expectetis; immo a vobismet ipsis; quibus nec industria deest, qua plurima & meliora addatis; nec sapientia, qua mirum in modum illustretis. Tempus opto vobis vacuum ac solutum, ut pares huic operi sitis; & mentis vestræ opes, quas tacite custoditis singuli, palam, non sine plausu, & communi omnium utilitate, efferantur. Commendatur a nobis in Nautio, effusis laudibus, tum animi moderatio, qua ille eo extollebat magis suum meritum, quo studebat minuere; tum reposita quædam non vulgaris doctrina, supra familiares confabulationes longe eminens, publica quidem luce frui, & inter eximia litterarnm monumenta summo cum honore reponi digna. Interea nos, ex hoc loco discessuros, ipsemet Nautius, maximo nostrorum omnium solatio, certiores facit, jam *Periphrasim* Tituli Regularum Juris, per ea temporis intervalla, quibus in hac rusticatione sibi licuit, expolitam ac limatam esse; biduo post, ut nescio quid perficeret, illam recitaturus. Rogat tamen, invitentur Flavius, & Anicius, adolescentes optimi, quorum sibi, ubi eos in hac Insula cognoverat, arrisit indoles ingenua, & ad bonas artes mens recte disposita. Vitellius hoc sibi curandum sumit negotium: immo pollicetur, sorbendam daturum ipsum nobis in hoc solenni congressu duplicis speciei gelidam potionem, saccharo plene imbutam, alteram cinnamo admixtam, citreo succo alteram: ut partim mens, partim etiam palatus mutua quadam dulcedine perfunderetur; &, alterna voluptate, hinc animus pos-

sit,

ſit, hinc guttur & fauces recreari. Quam opportune ad noſtra commoda invigilas, Vitelli, diximus. Sollertia nimia, nimiaque munificentia præditus es: regium pectus geris: regiis tantum indiges opibus; ut neminem in animi magnitudine parem haberes, cunctos profecto in largiendis donis vinceres. Dum hæc invicem referebantur, in ſuperiores ædes aſcendimus; & Vitellius parandæ cœnæ, nocturnis umbris mox adventantibus, ſedulus incubuit.

Lapſo biduo, in anteceſſum rogati accedunt Flavius, & Anicius: qui felices ſe fortunatoſque pronunciant, hac ipſis data occaſione, qua non aliam poterant gratiorem expectare. Paratas itaque ſedes quiſque occupat: Nautius ita exorditur; cui nos aurium operam dedimus intentiſſimam.

PRÆFATIO

NEmo tentat opus, quo nec sua gratia Musis,
Fama nec ingenio Vatis amica redit.
Quæ caret ornatu, languet neglecta Pöesis;
Cui veneres desint, desit in ore lepos:
Cui nova non vestit miras inventio formas;
Nec procul a vulgo mens agitata calet.
Exsucci versus, queis murmur inutile vocum
Dos misera est, stomachum non sine bile movent.
Cönstruxisse pedes, cura est ignobilis oti;
Et dare carminibus non animam, at faciem.
Scimus; & id multis damno cessisse videmus;
Quorum infelici nomine scripta jacent.
Hæc nostros animi affectus angustia torquet;
Arida dum videor ferre per arva gradum.
Adstrictas metro Leges, ubi Regula Juris,
Uno sub titulo est, non tamen una, dabo.
Ardua materies, multisque coërcita vinclis;
In qua sit pauper vena, sit ardor inops.
Nam quæ pompa potest sterili florescere campo,
Quæve in arenoso messis opima solo?
Difficile est, Legum mentem sermone ligato
Reddere, quam reddunt verba soluta parum.
Contrahere effusos, strictos diffundere sensus,
Obscuros aliqua spargere luce, grave est.
Compede servili, & frænato scribimus æstro;
Undique nos arcta cogimur ire via.
Præsertim, cum nos Elegis tentavimus uti;
Qui breve sub certo limite corpus habent:
Dictaque qui duplici versu conclusa requirunt;
Nec contracta magis, nec magis ampla probant.
Major in hexametris concessa licentia; cursus
Laxior; obstaclis vena retenta minus.

Quare

Quare insudatum est, nimium ne incommoda Lector
Sentiat; impensæ pœniteatque moræ.
Conati fuimus, studio, quo possumus, omni;
Ut cœptis aliquis concilietur honos:
Ut verbis cultus, numeris sit grata venustas;
Servetur, rerum pro gravitate, decus.
Ut nil diminuat brevitas, nil prorsus abundet,
Addita si fuerint, quæ sibi poscat opus:
Ut sese nitido sententia proferat ore;
Eruta ab umbroso sit licet ipsa sinu:
Utque etiam ornari vario videantur amictu
Plurima, quæ variis sunt repetita locis.
Cura simul posita est, fuerant quæ consona metri
Ingenio, Legum verba vel ipsa sequi:
Et, quæ mutari non apta, cœgerit usus;
Mutata est facies, non maculata fides.
Præfari hæc placuit, ne quis mea carmina fastu
Negligat, aut torva carpere fronte velit:
Qui nodum in scirpo quærat, dignumque palato,
Atque oculis dignum nil putet esse suis.
Ridiculo huic capiti, ne plura effutiat, ajo;
Quod mea tunc damnet, cum meliora ferat.

INCIPIT

INCIPIT TITULUS

LEX I

*R*Egula rem breviter narrat : non nascitur ex hac
Jus ; e jam nato Regula Jure venit.
Hæc quædam est caussa Conjectio , teste Sabino :
Irrita , parte aliqua si vitietur , erit.

LEX II

Fœmina ab officiis , quæ sint civilia , vel quæ
Publica sint , quadam lege pudoris , abest.
Illa quidem non jus dicit ; non postulat umquam ;
Illa Magistratus semper honore caret.
Non in opem alterius valet intercedere ; non res
In vim mandati , quod dabit alter , agit.
Tales sunt quandoque Mares , queis debilis ætas ,
Firmæ mentis inops , obstat , ut ista gerant.

LEX III.

TEXTUS

LEX I Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat : non ut ex Regula jus sumatur ; sed ex jure , quod est, Regula fiat . Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur : & (ut ait Sabinus) quasi caussæ Conjectio est ; quæ simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

LEX II Fœminæ ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt : & ideo nec Judices esse possunt; nec Magistratum gerere; nec postulare; nec pro alio intervenire; nec Procuratores existere . Item Impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere.

LEX III

Illius est non nolle, data est cui velle potestas.
Nemo, ni mens sit libera, velle potest.

LEX IV

Filius, & Servus non plene velle videntur.
Hic Domini imperio paret, & ille Patris.

LEX V

Tractandis rebus non par Furiosus, & Infans;
Quamvis infirma cognitione pares.
Contrahere Infanti, Tutore auctore, licebit;
Non licet his, queis mens acta furore calet.

LEX VI

Heredis quicumque aliis jus transferat, heres
Non erit: heredis nomen inane feret.

LEX VII

TEXTUS.

LEX III Ejus est non nolle, qui potest velle.

LEX IV Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.

LEX V In negotiis contrahendis, alia caussa habita est Furiosorum; alia eorum, qui fari possunt; quamvis actum rei non intelligerent: Nam Furiosus nullum negotium contrahere potest: Pupillus omnia, Tutore auctore, agere potest.

LEX VI Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

LEX VII

Partim testatus, partim intestatus obire,
Nemo ex Paganis, Jure vetante, potest.
Hæc duo, quæ pugnant, nequeunt consistere: firmum est
Alterutrum: neutro gaudet utrumque volens.

LEX VIII

Nullum Jus Civile, vigent quæ in saguine nostro,
Tollere de nostro pectore jura valet.

LEX IX

Illud in obscuris prudens rectumque videtur,
Quod minima amplecti, non graviora solet.

LEX X

Juxta Naturæ Leges, incommoda rerum
Qui tulit, æquali commoda sorte capit.

LEX XI

TEXTUS

LEX VII Jus nostrum non patitur, eumdem in Paganis & testato & intestato decessisse: earumque rerum naturalium inter se pugna est, testatus & intestatus.

LEX VIII Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt.

LEX IX Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur,

LEX X Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda.

LEX XI

Quod nostrum est, nostro sine facto, nullus habebit;
Ni vim, ni fraudem vult adhibere suam.

LEX XII

Ultima Testantum plene accipienda voluntas.
Durum est, successu si caret illa suo.

LEX XIII

Non recte capit is, contra quem Exceptio pugnat:
Namque capit frustra, qui retinere nequit.

LEX XIV

Implendis si nulla dies Contractibus insit,
Præsenti res est expedienda Die.

LEX XV.

TEXTUS.

LEX XI Id quod nostrum est, sine facto nostro, ad alium transferri non potest.

LEX XII In Testamentis plenius voluntates Testantium interpretantur.

LEX XIII Non videtur cepisse, qui per Exceptionem a petitione removetur.

LEX XIV In omnibus Obligationibus, in quibus Dies non ponitur, præsenti Die debetur.

LEX XV

Quamvis non habeat, rem prorsus habere videtur
Is, qui restitui rem sibi jure petit.

LEX XVI

Venditio numquam ficta sub imagine facta est;
Si pretium, certo quod statuatur, habet.

LEX XVII

In Tabulis adjecta Dies, Heredibus ipsis,
(Ni sit Defuncti mens aliena) favet.
Sic quoque Promissor, cum fit stipulatio, Tempus,
Recte ait, adjectum commoditate sui.

LEX XVIII

Legatum si cui fiat, quod transit in ejus
Heredem, extremum cum subit ille diem;
Hic idem, hoc casu, quærit Dominove Patrive
Legatum, quorum sub ditione manet. §. I.

TEXTUS

LEX XV Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

LEX XVI Imaginaria venditio non est, pretio accedente.

LEX XVII Cum Tempus in testamento adjicitur; credendum est pro herede adjectum; nisi alia mens fuerit Testatoris. Sicuti in stipulationibus, Promissoris gratia tempus adjicitur.

LEX XVIII Quæ Legata, mortuis nobis, ad heredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu acquirimus.

§. I

Sed longe ſecus eſt, cum nos ſtipulabimur; & ſit
Sponſum aliquid quadam conditione dari:
Quærimus & Patri, & Domino, licet inde ſit extans
Conditio, noſter cum ſtatus alter erit;
Et ceſſet, cui nos ſubmittimur, illa poteſtas,
Quæ noſtri juris plenius eſſe negat.

LEX XIX

Qui ſtatus eſt ejus, cum quo quis contrahat, aut ſcit,
Aut ſaltem debet quilibet eſſe ſciens.
Sed non ſic Heres, quum Legatarius inſtat;
Sponte quidem numquam contrahit ille ſua.

§. I

Queis non oppoſita eſt hominum teſtata voluntas,
Objectus ſi ſit, non nocet hiſce dolus.

LEX XX.

TEXTUS

§. I Aliter atque quod ſtipulati ſumus: Nam & ſub conditione ſtipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiamſi, liberatis nobis poteſtate domini, conditio exiſtat.

LEX XIX Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus: Heredi autem hoc imputari non poteſt; cum non ſponte cum Legatariis contrahit.

§. I Non ſolet exceptio doli nocere his, quibus voluntas Teſtatoris non refragatur.

LEX XX

Responsum dabimus pro Libertate lubenter;
Si super hac dubius sensus utrimque cadat.

LEX XXI

Nulla magis res conveniens, mage consona Juri,
Quam, cui plus liceat, posse licere minus.

LEX XXII

Contractu Servus frustra sese obligat: omni,
Qui venit ex Juris fonte, favore caret.

§. I

Arbitrio Dominus, vel Procurator abuti
Non debet, siqua conditione datum est.
Hac in Judiciis ratio quam maxime habenda est,
Queis exercendis est bona juncta fides.

LEX XXIII

TEXTUS.

LEX XX Quoties dubia interpretatio Libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

LEX XXI Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

LEX XXII In personam servilem nulla cadit obligatio.

§. I Generaliter probandum est, ubicumque in bonæ fidei Judiciis confertur in arbitrium Domini, vel Procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

LEX XXIII

Culpa aliquando, Dolus semper Contractibus obstat.
Illa imprudentis, insidiantis hic est.
Cum res deposita est, cum res concessa precanti,
Culpa excusatur, stat sua pœna dolo.

§. I

Cum quis, quod detur, Mandatum suscipit; & cum
Quis rem pro propria commoditate rogat;
Cum quoque sit pignus, res vendita, sive locata est,
Culpa procul debet, debet abesse Dolus.
Sed Tutela, & Dos, & gesta Negotia, curam
Majorem [etsi absint Culpa Dolusque] volunt.

§. II

Quod Socii statuunt, quod fert Communio rerum,
Et Culpam accipiunt, accipiuntque Dolum:
Ni singillatim quidquam in Contractibus alter
Consensu alterius plusve minusve velit.
Quippe id servandum, quod primum convenit: illa,
Dum fit Contractus, lex data, firma manet.

H *Hoc*

TEXTUS

LEX XXIII Contractus quidam Dolum malum dumtaxat recipiunt: quidam & Dolum, & Culpam. Dolum tantum Depositum, & Precarium.

§. I Dolum & Culpam, Mandatum, Commodatum, Venditum, Pignori acceptum, Locatum. Item Dotis datio, Tutelæ, Negotia gesta: in his quidem & Diligentiam.

§. II Societas, & rerum Communio, & Dolum & Cul-
pam

Hoc uno excepto, si quis convenerit, ut non
Præstetur, si res sit male gesta, dolus.
Hoc recte Celsus numquam valuisse putabat.
Obtinet hoc. Alias est bona fracta fides.

§. III

Casus, quos subeunt, mortesque Animalia; quæque
Eveniunt casu, culpa nec ulla subest;
Ut fuga Servorum, quorum custodia in æde
Insolita est; avida facta Rapina manu;
Seditio populi; ac Incendia; magnus aquarum
Imber; Prædonum ducta furore cohors;
Præstari haud æquum est. Nam, culpa ac fraude remotis,
Nulla sinit ratio, damna inopina pati.

LEX XXIV

Quatenus intersit cujusque, hæc quæstio Facti est:
Ad Jus, quod spectat, quæstio non superest.

LEX XXV

TEXTUS

pam recipit: Sed hæc ita, nisi siquid nominatim convenit, vel plus vel minus in singulis Contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim Contractus dedit: Excepto eo, quod Celsus putat non valere, si convenerit, ne Dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est; & ita utimur.

§. III Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accidunt; fugæ Servorum, qui custodiri non solent, Rapinæ, Tumultus, Incendia, Aquarum magnitudines, impetus Prædonum a nullo præstantur.

LEX XXIV Quatenus cujusque intersit, in Facto, non in Jure consistit.

LEX XXV

Cautio quam longe est major, quæ competit in Rem:
Sed quæ in Personam competit, illa minor.

LEX XXVI

Qui valet invitis, valet his absentibus, hisque
Ignaris, de re dispofuisse sua.

LEX XXVII

Quod Lex, quod Prætor statuit, mutabile non est.
Nil Privatorum pacta novare queunt.
Quamvis mutentur vel Pacto, Jure vel ipso,
Caussæ, queis sese sponte ligare placet.
Lex etenim, Prætorve, modum introduxit agendi;
Hunc nemo, ut lubeat, contemerare potest.
Ni tunc, principium cum suscipit Actio: possunt
Privati pactis hanc variare suis.

H 2 LEX XXVIII

TEXTUS

LEX XXV Plus cautionis in Rem est, quam in Personam.

LEX XXVI Qui potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus, & absentibus potest.

LEX XXVII Nec ex Prætorio, nec ex sollenni Jure, Privatorum conventione quicquam immutandum est; quamvis obligationum caussæ Pactione possint immutari, & ipso Jure, & per pacti conventi exceptionem: quia Actionum modus, vel Lege, vel per Prætorem introductus, Privatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

LEX XXVIII

Ultro qui donant, in quantum explere valebunt,
Damnandi, quoties conveniantur, erunt.

LEX XXIX

Illud, quod vitio, primæva ab origine, læsum est;
Servat idem vitium, tempus in omne, suum.

LEX XXX

Non rata Concubitus tantum Connubia reddit:
Consensus, quo sint rite peracta, facit.

LEX XXXI

Quod factum est, numquam Pactum aut Stipulatio tollit:
Nam factum infectum reddere nemo potest.

§. I

TEXTUS

LEX XXVIII Divus Pius rescripsit, eos, qui ex Liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

LEX XXIX Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

LEX XXX Nuptias non Concubitus, sed Consensus facit.

LEX XXXI Verum est, neque Pacta, neque Stipulationes factum posse tollere.

§. I

Res impossibiles promittere, inutile prorsum est;
Actio nulla datur, Pactaque nulla valent.

LEX XXXII

Servi pro nullis civili Jure putantur;
Queis est, ceu pecudi, non nisi vita labor.
Sed naturali cessant discrimina Jure;
Hac homines cuncti sunt sibi Lege pares.

LEX XXXIII

Durior est, lucrum facturi, caussa petentis:
Illi, a quo petitur, ferre decebit opem.

LEX XXXIV

Nos in Contractu, sit qualiscumque, quod actum est,
Debemus summa relligione sequi.

H 3 *Quod*

TEXTUS

§. I Quod enim impossibile est, neque Pacto, neque Stipulatione potest comprehendi; ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

LEX XXXII Quod attinet ad Jus civile, Servi pro nullis habentur; non tamen & Jure naturali: quia quod ad Jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.

LEX XXXIII In eo, quod vel is, qui petit, vel is, a quo petitur, lucri facturus est, durior est causa petitoris.

LEX XXXIV Semper in Stipulationibus, & in cæteris Con-

Quod vero est actum, si non appareat, illud
Servandum, quod fert mos Regionis, erit.
Si mos sit varius, nec certo fœdere constet;
Ad minimum summa est tunc redigenda modum.

LEX XXXV.

Nil tam conveniens, tam naturale videtur,
Quam solvi, quo sunt quæque ligata, modo:
Verbis adstricti, Verbis dissolvimur; aufert
Vincula Consensus nudus, ut ante tulit.

LEX XXXVI

Non expers culpæ est, qui sese immisceat ultro
His rebus, juris nil ubi prorsus habet.

LEX XXXVII

Cui Condemnandi plena est concessa facultas;
Huic Absolvendi par quoque norma datur.

LEX

TEXTUS

Contractibus id sequimur, quod actum est: aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

LEX XXXV Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. Ideo Verborum obligatio, Verbis tollitur; nudi Consensus obligatio, contrario Consensu dissolvitur.

LEX XXXVI Culpa est, immiscere se rei, ad se non pertinenti.

LEX XXXVII Nemo, qui Condemnare potest, Absolvere non potest.

LEX XXXVIII

Pœnam ex delicto Defuncti haud sustinet Heres;
Nec Lucrum, quod ab hoc provenit, ille facit.

LEX XXXIX

Pro facto acceptum est in caussis omnibus illud,
Quod ne sit factum, facta aliunde mora est.

LEX XL

Velle carent, quibus est rerum interdicta potestas;
Queis furor invadit pectora, velle carent.

LEX XLI

Obtinet haud Actor, quod non Reus obtinet. Hinc est,
Quod licet alterutri, quidquid utrique licet.

TEXTUS

LEX XXXVIII Sicuti Pœna ex delicto Defuncti heres teneri non debeat; ita nec Lucrum facere, siquid ex ea re ad eum pervenisset.

LEX XXXIX In omnibus caussis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ sit, quominus fiat.

LEX XL Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

LEX XLI Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur.

§. I

Rebus in obscuris, vitanti Damna favendum;
Quærenti Lucrum par nequit esse favor.

LEX XLII

Est Successorum justa ignorantia, an illud
Revera explendum, quod petat alter, erit.
Et justa ignorant de caussa Sponsor, & Heres;
Esse ignota illis facta aliena solent.
Non tamen Heredem juvat hoc, si forte sit Actor;
Sed si persona fungitur ille Rei.
Actor cum fuerit, sibi consulat, an sit agendum;
Rem prius exploret, deinde paratus agat.

LEX XLIII

Ni Lex obstarit, qui se debere negavit,
Jus aliunde suum sustinuisse valet.

§. I

TEXTUS

§. I In re obscura melius est favere Repetitioni, quam adventitio Lucro.

LEX XLII Qui in alterius locum succedunt, justam habent caussam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque non minus, quam Heredes, justam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de Herede dicta sunt, si cum eo agetur, non etiam si agat: Nam plane qui agit, certus esse debet; cum sit in potestate ejus, quando velit experiri: & ante debet rem diligenter explorare; & tunc ad agendum procedere.

LEX XLIII Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi Lex impedit.

§. I

Si non una tibi de re datur Actio eadem;
Una uti, sed non pluribus, ipse potes.

LEX XLIV

In quantum accepit, Defuncti ex fraude, tenetur
Heres; si sua fraus vertitur, in solidum.

LEX XLV

Rem vel Deposito, vel Pignore, vel Prece nemo
Consequitur, vel Emit, vel Locat ipse suam.

§. I

Præceptis, quæ jure suo Lex publica firmat,
Nil a Privatis pacta ineunda nocent.

LEX XLVI

TEXTUS

§. I Quotiens concurrunt plures Actiones, ejusdem rei nomine, una quis experiri debet.

LEX XLIV Totiens in Heredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo Defuncti convenitur; non quotiens ex suo.

LEX XLV Neque Pignus, neque Depositum, neque Precarium, neque Emtio, neque Locatio rei suæ consistere potest.

§. I Privatorum Conventio Juri publico non derogat.

LEX XLVI.

Pro pœna exactum a quovis, non redditur illi;
Hoc onere Exactor lege solutus eat.

LEX XLVII.

Consilii innocui non umquam adstringitur Auctor.
Si sit Calliditas, actio danda doli est.

§. I.

Olli, cui socior, Socius si adjungitur alter;
Non novus hic Socius dicitur esse meus.

LEX XLVIII

Siquid in accensa vel fit, vel dicitur ira;
Extemplo alterutrum non placet esse ratum:
Ni forsan Facti aut Dicti constantia monstret,
Judicium ex animi prosiluisse sinu.
Hinc male conjicies, quod jam diverterit Uxor;
Quæ digressa parum est, inde reversa brevi.

LEX

TEXTUS

LEX XLVI Quod a quoque pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

LEX XLVII Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: Cæterum si Dolus & Calliditas intercessit, de Dolo actio competit.

§. I Socii mei Socius, meus Socius non est.

LEX XLVIII Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur; non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse: ideoque brevi reversa uxor, non divertisse videtur.

LEX XLIX

Qui circumveniat, nulli jus præbet agendi:
Non ſibi non aliis proficit uſque dolus.

LEX L

Impedienda quidem mala ſunt; ſed quiſque carebit
Culpa, ſi mala ſcit, nec prohibere poteſt.

LEX LI

Tunc ea poſſe capi, cum ſunt retinenda, videntur;
Sed Nemo, quæ ſunt reſtituenda, capit.

LEX LII

Non ſe defendit, qui ſe defendere præſens
Denegat, aut latitat, Judiciumque ſugit.

LEX LIII.

TEXTUS

LEX XLIX Alterius Circumventio alii non præbet actionem.

LEX L Culpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.

LEX LI Non videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere.

LEX LII Non defendere videtur, non tantum qui latitat; ſed & is, qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem.

LEX LIII

Quod repetes Errore datum, consultius illud
Si dabis, id Dono creditur esse datum.

LEX LIV

Quod quis habet, jus plene aliis transferre valebit:
Plus juris, quod non obtinet ipse, nequit.

LEX LV

Numquam damnandus, numquam est injurius ulli;
Uti jure suo qui sine fraude velit.

LEX LVI

In rebus dubiis ea semper opinio visa est
Tuta magis, quæ sit dura nocensque minus.

LEX LVII

Quod semel est dandum, siquis bis exigat; expers
Ille bonæ fidei est, quæ nequit ista pati.

LEX LVIII

TEXTUS

LEX LIII Cujus per errorem dati Repetitio est, ejus consulto dati Donatio est.

LEX LIV Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet.

LEX LV Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

LEX LVI Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

LEX LVII Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

LEX LVIII

Siqua petat multam Natorum culpa, Peculì
Actio in insontem non datur ulla Patrem.

LEX LIX

Heredi jus prorsus idem est, eademque potestas,
Qualis Defuncto, dum sibi vixit, erat.

LEX LX

Is mandat, qui non prohibet (cum possit) ut alter
Quædam interventu curet agenda suo.
Præsumto pariter Mandato obstringitur ille,
Qui, quod sit gestum, monstret habere ratum.

LEX LXI

Quisque suum reficit Tectum, nisi læditur alter
Hoc nolens, quem non lædere, juris habet.

LEX LXII

TEXTUS

LEX LVIII Ex pœnalibus caussis non solet in Patrem de Peculio actio dari.

LEX LIX Heredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit Defunctus, constat.

LEX LX Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur: Sed & siquis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur Mandati actione.

LEX LXI Domum suam reficere unicuique licet; dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

LEX LXII

Efficit Heredem successio in omnia jura,
Quæ jam ad Defunctum pertinuere prius.

LEX LXIII

Quando in Judicium quis provocet, & sine fraude
Istud agat, nullas injicit ipse moras.

LEX LXIV

Quæ raro eveniunt, temere suscepta videri
Non debent; usu posse venire, sat est.

LEX LXV

Quæ Verum corrumpit, ea est natura Cavilli;
Mentitam fraudi conciliatque fidem.
Hic, quædam breviter mutans, ad falsa patenter,
Quod clare Verum est, insidiosus agit.

LEX LXVI

TEXTUS

LEX LXII Hereditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

LEX LXIII Qui sine dolo malo ad Judicium provocat, non videtur moram facere.

LEX LXIV. Ea, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur.

LEX LXV Ea est natura Cavillationis, quam Græci σωρίτην appellant, ut ab evidenter veris, per brevissimas mutatationes, disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur.

LEX LXVI

Qui valide excipiat, naturæ legibus æquis
Usus, debendi desinit esse reus.

LEX LXVII

Idem Sermo duos dum sensus exprimit, horum
Alter, qui rebus congruit, excipitur.

LEX LXVIII

Siquod Personæ tantum legale paratur
Auxilium; hoc, ipsa deficiente, perit.
Si non auxilium Persona, sed Actio poscit:
Hoc firmum, in quemvis Actio pergat, erit.

LEX LXIX

Invito Benefacta neges; tribuenda Volenti:
Gratia, cui veniat sponte recepta, patet. LEX LXX

TEXTUS

LEX LXVI Marcellus ait: Desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

LEX LXVII Quotiens idem Sermo duas sententias exprimit; ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.

LEX LXVIII In omnibus caussis id observatur, ut ubi Personæ conditio locum facit Beneficio, ibi, deficiente ea, Beneficium quoque deficiat: Ubi vero genus Actionis id desiderat, ibi ad quemvis persecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

LEX LXIX Invito Beneficium non datur.

LEX LXX

Arbitrium Gladii, & Plectendi quemlibet usum
Nemo aliis transfert, quod sibi Jure datum est.

LEX LXXI

Nil definiri sub prima fronte Libelli,
Quod caussæ indigeat Cognitione, potest.

LEX LXXII

In fructu est, dare rem pro Pignore, cuique licere:
Cui non hoc liceat, fructibus ille caret.

LEX LXXIII

Lege fit is Tutor, qui lege existeret Heres;
Vir modo sit, non hoc Fœmina munus obit.

§. I

TEXTUS

LEX LXX Nemo potest Gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius Cöercitionis, ad alium transferre.

LEX LXXI Omnia quæcumque caussæ Cognitionem desiderant, per Libellum expediri non possunt.

LEX LXXII Fructus rei est, vel Pignori dare licere.

LEX LXXIII Quo Tutela redit, eo Hereditas pervenit, nisi cum Fœminæ heredes intercedunt.

§. I

Tutorem dat quisque suis heredibus; illis
Scilicet, in patria quos ditione tenet.
Nec tam quos habuit moriens; dat & ipse futuris,
Qui, si vixisset, sub ditione forent.

§. II

Saepe aliquid vel vi, vel clam censebitur actum:
Illud vi, cum quis, quod prohibetur, agat.
Clam, si res agitur, dum, mota aut lite movenda,
Incertum est, utrum res ea possit agi.

§. III

Quae Testamento non intellecta leguntur,
Lex, pro non scriptis accipienda jubet.

§. IV

Irrita Pacta jacent, Contractus corruit omnis,
Quando aliis ultro, non sibi quisque cavet.

I LEX LXXIV

TEXTUS

§. I Nemo potest Tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset.

§. II Vi factum id videtur esse, qua de re quis, cum prohibetur, fecit: clam, quod quisque, cum controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit.

§. III Quae in Testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt ac si scripta non essent.

§. IV Nec pacifcendo, nec legem dicendo, nec stipulando, quisquam alteri cavere potest.

LEX LXXIV

Arbitrio alterius, non ulli infertur iniqua
Conditio: quis enim tam grave ferret onus?

LEX LXXV

Nulli concessum est, aliis quo injuria fiat,
Consilium, ut lubeat, vertere posse suum.

LEX LXXVI

Quæ sunt ex animi voto peragenda, requirunt,
Ut vere ac certe quis sciat id, quod agat.

LEX LXXVII

Actus Legitimi nequeunt subsistere; quando
Conditio est illis appositusque dies.
Hi sunt Tutoris Datio, Servi Optio, tum qui
Vel feret acceptum, mancipioque dabit.
Insuper ille actus, quo declarabitur Heres;
Et bona, defunctus quæ retinebat, adit. §. I

TEXTUS

LEX LXXIV Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

LEX LXXV Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

LEX LXXVI In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt.

LEX LXXVII Actus Legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti Mancipatio, Acceptilatio, Hereditatis Aditio, Servi Optio, Datio Tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem.

§. I

Sed tacite tales Actus admittere possunt
Quæ memorata palam, sunt valitura nihil.
Nam, siquis ferat acceptum, quo liberet illum,
Qui sponsor quadam conditione fuit;
Sic demum valet hoc, si dein expleta manebit
Conditio, effectu non caritura suo.
Verum, si verbis hoc quisquam egisset apertis,
Frustra ageret, frustra prospiceretque sibi.

LEX LXXVIII

Si quando quæri debet de Fraude, sciendum est,
Quod non sufficiat nosse, quid Actor habet.
Sed quod non habuit, facile quod posset habere,
Ni Contradictor necteret arte dolos.

LEX LXXIX

Fraus ex Eventu non tantum noscitur: illa
Ex animo melius consilioque patet.

I 2 LEX LXXX

TEXTUS

§. I Nonnunquam tamen Actus suprascripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehensa, vitium adferunt: Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid Acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio exstiterit: quæ, si verbis nominatim Acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

LEX LXXVIII Generaliter, cum de Fraude disputatur, non quid habeat Actor; sed quid per Adversarium habere non potuerit, considerandum est.

LEX LXXIX Fraudis interpretatio semper in Jure Civili, non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoq; desideratur.

LEX LXXX

Toto in Jure, Genus Specie restringitur. Olli
Derogat hæc: illud plus patet, ista minus.
Hinc ea, quæ Speciem tangunt, potiora videntur;
Atque ea præ reliquis præstat habere locum.

LEX LXXXI

Quidquid, quo dubium tollas, Contractibus addis,
Jus commune nihil lædere posse, puta.

LEX LXXXII

Quod nullo Juris vinclo concedimus, illud
Dono, non alia nos ratione damus.

LEX LXXXIII

Ni sit res propria, hanc amittere nemo videtur:
Perdit, qui propriam rem tenet, inde caret.

LEX LXX XIV

TEXTUS

LEX LXXX In toto Jure Generi per Speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad Speciem directum est.

LEX LXXXI Quæ dubitationis tollendæ caussa Contractibus inseruntur, Jus commune non lædunt.

LEX LXXXII Donari videtur, quod, nullo Jure cogente, conceditur.

LEX LXXXIII Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

LEX LXXXIV

Cum plus, quod solvi debet, sit forte solutum;
Nec partem invenias, quæ repetenda foret;
Totum deberi, nemo est, qui intelligat; & quæ
Debendi fuerat, pristina caussa manet.

§. I

Natura is debet, qui sit dare Jure coactus;
Jure, inquam, quod gens omnis ubique colit;
Cujus nos fuimus promissa fidemque sequuti,
Quæ nullo prorsus sunt violanda dolo.

LEX LXXXV

Siquid in Ambiguis votum de Dote ferendum est,
Id melius, Dotem quod tueatur, erit.

TEXTUS

LEX LXXXIV Cum amplius solutum est, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti possit; totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione.

§. I Is natura debet, quem Jure gentium dare oportet; cujus fidem sequuti sumus.

LEX LXXXV In Ambiguis pro Dotibus respondere melius est.

§. I

Nil novitatis habet, si quovis tempore durent,
Quæ semel utiliter cœpta fuere prius;
Quamvis ille dehinc casus superincidat, a quo
Sumere principium non potuere suum.

§. II

Si Juris dubium, si innata cupido moretur
Id, quod in Ambiguis æquius esse solet;
Justis decretis Judex rem temperet; usus,
Quæ mediam teneat, dexteritate, viam.

LEX LXXXVI

Qui contestantur litem, aut non, pejor eorum
Haud sit conditio; sæpe fit at melior.

LEX LXXXVII

TEXTUS.

§. I Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent; licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt.

§. II Quotiens æquitatem desiderii naturalis ratio, aut dubitatio Juris moratur, justis decretis res temperanda est.

LEX LXXXVI Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quam si non: sed plerumque melior.

LEX LXXXVII

Is, qui persequitur, caussa meliore potitur;
Non umquam poterit deteriore premi.
Afficit Heredem lis contestata; vel Actor,
Vel quavis caussa debeat esse Reus.

LEX LXXXVIII

Nil ubi quis petiit, nulla est mora. Nemo tenetur
Sponte sua, nullo forte petente, dare.

LEX LXXXIX

Donec Testantum fuerit valitura voluntas;
Heres legitimus rejiciendus erit.

LEX XC

Omnibus in caussis, præsertim in Jure, quod Æquum,
Deposita fas est asperitate sequi.

I 4 LEX XCI

TEXTUS

LEX LXXXVII Nemo enim in persequendo deteriorem caussam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam heredi quoque prospicitur, & heres tenetur ex omnibus caussis.

LEX LXXXVIII Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

LEX LXXXIX Quamdiu possit valere Testamentum, tamdiu Legitimus non admittitur.

LEX XC In omnibus quidem, maxime tamen in Jure, Æquitas spectanda sit.

LEX XCI

Quum duplici quis Jure potest succedere, firmum
Jus vetus est, si vult abstinuisse novo.

LEX XCII

Non dat, scribendo si forte Librarius erret,
Sive reo, aut illi, qui cavet, error opem.

LEX XCIII

Qui patrio sub Jure manet, de sorte Peculî
Nil retinet, repetit, consequiturque nihil.

LEX CXIV

Quæ Scriptis, præter quam postulet Usus, abundant;
Scripturam vitiis haud maculare solent.

LEX CXV

TEXTUS

LEX XCI Quotiens duplici Jure defertur alicui Successio; repudiato novo Jure, quod ante defertur, supererit vetus.

LEX XCII Si Librarius in transcribendis Stipulationis verbis errasset, nihil nocere, quominùs & Reus & Fidejussor teneretur.

LEX XCIII Filiusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

LEX XCIV Non solent quæ abundant vitiare Scripturas.

LEX CXV

Qui se defendit, litem acceptare paratus,
Illum solvendo credimus esse parem.

LEX CXVI

Cum sermo est anceps, illius opinio præstat,
Qui dubia hæc scripto verba vel ore refert.

LEX XCVII

Quæ Deportatis tantum Sententia tollit,
Sunt ea, quæ pœna nomine Fiscus habet.

LEX XCVIII

Siqui de Lucro contendant, obtinet ille,
In cujus Lucrum tempore caussa præest.

LEX XCIX

TEXTUS

LEX XCV Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

LEX XCVI In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset.

LEX XCVII Ea sola deportationis Sententia aufert, quæ ad Fiscum perveniant.

LEX XCVIII Quotiens utriusque caussa Lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in Lucrum caussa tempore præcedit.

LEX XCIX

Non læsæ fidei reus est, non improbus ille,
Quem, quantum debet solvere, forte latet.

LEX C

Quæcumque, ut recte fiant, sunt Jure statuta;
Hæc eadem opposito Jure repulsa cadunt.

LEX CI

Siquid adimpleri pro certo tempore fas est,
Atque velit menses Lex statuisse duos;
Ille, die primo, post sexaginta peractos,
Qui venit, auditur: nam brevis ista mora.

LEX CII

Quod vetuit Prætor, si quisquam fecerit, ille est
De læsa Edicti relligione reus.

§. I

TEXTUS

LEX XCIX Non potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

LEX C Omnia, quæ Jure contrahuntur, contrario Jure pereunt.

LEX CI Ubi Lex duorum mensium fecit mentionem; & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: Ita enim Imperator Antoninus cum Divo patre suo rescripsit.

LEX CII Qui vetante Prætore fecit, hic adversus Edictum fecisse proprie dicitur.

§. I

Actio ab his , quibus ipsa datur , simul ipsa negatur:
Dant , ubi justa patet ; non ubi justa , negant .

LEX CIII

Tuta cuique Domus : summa est injuria , siquis
Extrahitur nolens ejiciturque Domo.

LEX CIV

Actio si gemina est , majoris & altera summæ ,
Altera & infamem quæ paritura notam ;
Anteferenda illa est , ubi famæ insigne periclum
Vertitur , & dubia forte fatiscit honos .
Cum vero æquiparent famosa , sed , impare summæ ,
Judicia ; arbitrium est , quod places , anteferas .

LEX CV

Cognitio caussæ quoties emergere visa ,
Unus , qui valeat noscere , Prætor erit .

LEX CVI

TEXTUS

§. I Ejus est actionem denegare , qui potest & dare.

LEX CIII Nemo de Domo sua extrahi debet .

LEX CIV Si in duabus Actionibus, alibi summa major, alibi infamia est ; præponenda est caussa existimationis . Ubi autem æquiparant famosa Judicia , etsi summam imparem habent , pro paribus accipienda sunt .

LEX CV Ubicumque caussæ cognitio est , ibi Prætor desideratur .

LEX CVI

Res est Libertas, quæ magna dote superbit;
Nec dici, quanti sit facienda, potest.

LEX CVII

Nulla patent umquam Servis commercia; nulli
Fiunt Contractus; Actio nulla datur.

LEX CVIII

Grande patrocinium parit Imprudentia, & Ætas
His, quos, admisso crimine, pœna manet.

LEX CIX

Ille recensendus patrati criminis insons,
Qui non id prohibet, quod prohibere nequit.

LEX CX

Qui Plus concedit, Minus hunc concedere, notum est;
Quod Plus est, in eo constat & esse Minus.

§. I

TEXTUS

LEX CVI Libertas inæstimabilis res est.

LEX CVII Cum Servo nulla Actio est.

LEX CVIII Fere in omnibus pœnalibus Judiciis & Ætati & Imprudentiæ succurritur.

LEX CIX Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.

LEX CX In eo quod plus sit, semper inest & minus.

§. I

Qui rem non propriam promittit, idoneus ille
Non erit; at quoties det satis, aptus erit.

§. II

Pupilli aut nulla, aut insons Patientia. Quidquid
Is nescit, durum est dicere, posse pati.

§. III

Disjunctis duplex Factum promittere verbis
Qui velit, alterutrum si facit ipse, sat est.

§. IV

Si se defendat Mulier, succurritur: at si
Illa alios vexet, non sibi speret opem.

LEX CXI

TEXTUS

§. I Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione.

§. II Pupillus pati posse non intelligitur.

§. III Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum.

§. IV Mulieribus tunc succurrendum est, cum defendantur, non ut facilius calumnientur.

LEX CXI

Qui Pubertati est Pupillus proximus, ille
Cujusvis visus criminis esse capax.

§. I

Pœna, quam Damnum, Bona rapta, Injuria, Furtum
Afferat, haud Heres afficiendus erit.

LEX CXII

Nil sane refert, seu quos Exceptio agentes
Infirmat, seu queis Actio Jure deest.

LEX CXIII

Esse nequit Totum, ni constet Partibus: inde,
Quod Pars in Toto contineatur, habes.

LEX CXIV

TEXTUS

LEX CXI Pupillum, qui proximus Pubertati sit, capacem esse & furandi, & injuriæ faciendæ.

§. I In Heredem non solent Actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum.

LEX CXII Nihil interest, ipso Jure quis actionem non habeat, an per Exceptionem infirmetur.

LEX CXIII In Toto & Pars continetur.

LEX CXIV

Inspici in Obscuris debet, quod sæpe sit actum,
Quodque magis Vero se similare solet.

LEX CXV

Qui Nexu liber fiat, cepisse videtur:
Tunc capit is, dum res libera facta sibi est.
Non tamen ille capit, removet quem Exceptio; quamvis
Quod capere hic vellet, jam stipulatus erat.

LEX CXVI

Ille, bonæ fidei qui cuncta negotia firmat,
Liber Consensus, Vique Metuque cadit.
Mores namque boni, qui præsunt rebus agendis,
Quod fit turbata mente, probare vetant.

§. I

Qui Minor est, numquam capitur, si publica constet
Jura sequi: nec ob id restituendus erit.

§. II

TEXTUS

LEX CXIV In Obscuris inspici solere, quod Verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

LEX CXV Siquis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse: Non potest videri accepisse, qui stipulatus, potest Exceptione submoveri.

LEX CXVI Nihil Consensui tam contrarium est, qui & bonæ fidei Judicia sustinet, quam Vis, atque Metus; quem comprobare contra bonos mores est.

§. I Non capitur, qui Jus publicum sequitur.

§. II

Quicumque errabit, non consentire videtur;
Error enim falsa sub ratione latet.

LEX CXVII

Non secus ac Heres, Possessor quisque bonorum est:
Uno stare loco Prætor utrumque jubet.

LEX CXVIII

Is, qui in servitio est, cessat Præscribere: numquam
Possessor, quisquis possideatur, erit.

LEX CXIX

A quibus omissa est Possessio, credere noli,
Illos distractas res voluisse suas.

LEX CXX

Nemo decedens Heredi plura relinquit
Commoda, quam potuit vivus & ipse frui. LEX

TEXTUS

§. II Non videntur, qui errant, consentire.

LEX CXVII Prætor bonorum Possessorem Heredis loco in omni caussa habet.

LEX CXVIII Qui in servitute est, usucapere non potest: nam cum possideatur, possidere non videtur.

LEX CXIX Non alienat, qui dumtaxat omittit Possessionē.

LEX CXX Nemo plus commodi Heredi suo relinquit, quam ipse habuit.

LEX CXXI

Si non fit, fieri quod debet, quisque videtur
Fecisse oppositum; nam nihil ipse facit.
Si, quæ non debent fieri, sint facta; putandum est,
Non ab eo fieri, quæ facienda forent.

LEX CXXII

Libertas semper quovis dignata favore:
Nullaque res visa est digna favore pari.

LEX CXXIII

Lex vetat, ut surgant alieno nomine Lites;
Pro se, non pro aliis quilibet actor erit.

§. I

Numquam, quæ retinet Provincia, Jura novantur,
Si mutata aliquo tempore & illa forent.

TEXTUS.

LEX CXXI Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea; quia non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

LEX CXXII Libertas omnibus rebus favorabilior est.

LEX CXXIII Nemo alieno nomine Lege agere potest.

§. I Temporaria permutatio Jus Provinciæ non innovat.

LEX CXXIV

Rebus in his, ubi sola juvat præsentia, nec sit
Reddito & accepto vox adhibenda sono;
Tunc adsunt Mutus, Surdus, qui mente valebunt:
Gestu alter, quæ vult; alter & ore notat.
Sed quamvis adsit Furiosus, abesse videtur:
Corpore adest; animo, qui mage præstat, abest.

LEX CXXV

Non par Actori Reus est. Sors dissona utrique.
Plus Reus auxilii, sed minus Actor habet.

LEX CXXVI

Qui pretium numerat, Prædo non dicitur; etsi
Quæ vendi nequeat, rem sibi forsan emat.

§. I

Libertum acquirens, non factus ditior ille est;
Quamvis Liberti commoda ferre solent.

§. II

TEXTUS.

LEX CXXIV Ubi non voce, sed præsentia opus est, Mutus si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in Surdo; hic quidem & respondere potest. Furiosus absentis loco est; & ita Pomponius lib. I Epistularum scribit.

LEX CXXV Favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur.

LEX CXXVI Nemo Prædo est, qui pretium numeravit.

§. I Locupletior non est factus, qui Libertum acquisierit.

§. II

De Lucro quoties lis est agitata duorum;
Est Possessoris caussa tuenda magis.

LEX CXXVII

Cum contra Heredem conceditur Actio de re,
Olim defuncti quæ sit adepta dolo;
Hanc rem momento quoties possederit heres,
Recte in Judicio conveniendus erit.

LEX CXXVIII

Par ubi caussa manet, potior Possessor habendus:
Durior, eripere est, non dare, noxa minor.

§. I

In totum alterius qui jus successerit, illum
Heredis credas obtinuisse locum,

K 2 LEX CXXIX

TEXTUS

§. II Cum de Lucro duorum quæratur, melior est caussa Possidentis.

LEX CXXVII Cum Prætor in Heredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit; sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

LEX CXXVIII In pari caussa Possessor potior haberi debet.

§. I Hi, qui in universum jus succedunt, Heredis loco habentur.

LEX CXXIX

Nulla fraude quidem visus sibi Creditor uti,
Qui recipit, pateat qua via promta, suum.

§. I

Si non consistat Primaria Caussa, quod inde
Subsequitur, prima mole cadente, ruit.

LEX CXXX

Una si de re non una sit Actio, numquam
Destruit una alias: integra quæque manet.
Præsertim varia hæc cum continet Actio pœnam;
Servat enim vires ista, vel illa suas.

LEX CXXXI

Qui non possideat, tamquam Possessor habetur;
Dum, ne possideat, sit modo caussa Dolus.

LEX

TEXTUS

LEX CXXIX Nihil dolo Creditor facit, qui suum recipit.

§. I. Cum Principalis Caussa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

LEX CXXX Numquam actiones præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

LEX CXXXI Qui Dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione Dolus est.

LEX CXXXII

Culpa non caret is, cui nulla peritia rerum;
Desidiæ infelix est reus ipse suæ.

LEX CXXXIII

Reddi conditio, per quos acquirimus ipsi,
Nostra potest melior, deteriorque nequit.

LEX CXXXIV

Nil fraudis, si non acquirat Debitor: at nil
De propriis poterit diminuisse bonis.

§. I

Nulli conditio melior de Crimine fiet:
Privandus quavis utilitate Dolus.

LEX CXXXV

Quæ dare non poteris, vel quæ natura negabit,
Pro non adjectis prorsus habenda, puta.

K 3 LEX CXXXVI

TEXTUS

LEX CXXXII Imperitia Culpæ adnumeratur.

LEX CXXXIII Melior conditio nostra per Servos fieri potest; deterior fieri non potest.

LEX CXXXIV Non fraudantur Creditores, cum quid non acquiritur a Debitore; sed cum quid de bonis deminuitur.

§. I Nemo ex suo Delicto meliorem suam conditionem facere potest.

LEX CXXXV Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

LEX CXXXVI

Quantum pro veri norma Possessor haberet,
Huic bona tantumdem præstat amica fides.
Excipias, ni Lex obstet: tunc æquior omnis
Conjectura animi, Lege loquente, silet.

LEX CXXXVII

Judice qui caute sibi res auctore paravit,
Res, mihi crede, bona possidet iste fide.

LEX CXXXVIII

Qui jus heredis tarde susceperit, heres
Defuncti ex primo tempore mortis erit.

§. I

Numquam ex postfacto commissi criminis ante
Æstimia aut crescit, sive sit illa minor.

LEX CXXXIX

TEXTUS

LEX CXXXVI Bona fides tantumdem Possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est.

LEX CXXXVII Qui auctore Judice comparavit, bonæ fidei possessor est.

LEX CXXXVIII Omnis hereditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.

§. I Numquam crescit ex postfacto præteriti delicti æstimatio.

LEX CXXXIX

Actio, quam Tempus, quam Mors extinguere posset,
Mota semel coram Judice, salva viget.

§. I

Perfecte non esse illud cujusque videtur,
Quod casu propria possit abire manu.

LEX CXL

Dum quis pro Patria est absens, Absentia non est
Aut damnosa aliis, aut nocitura sibi.

LEX CXLI

Quod fuit opposita Juris ratione receptum,
Ad quod consequitur, posse trahi est vetitum.

TEXTUS

LEX CXXXIX Omnes Actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ Judicio, salvæ permanent.

§. I Non videtur perfecte cujusque id esse, quod ex casu auferri potest.

LEX CXL Absentia ejus, qui Reipublicæ caussa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

LEX CXLI Quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentia.

§. I

Uni pro solido duplex non extitit Heres;
Sed pro parte Heres fiet uterque sua.

LEX CXLII

Qui tacet, alterius dictis nihil ipse reponens,
Ut non dicta probat, sic neque dicta negat.

LEX CXLIII

Id, quod ei, qui jam contraxerat, obstat; & illi
Obstaclo est, ejus qui tenet inde locum.

LEX CXLIV

Non quodcumque licet, nobis permittit Honestas:
Quod sinit Utilitas, non sinit omne Decor.

§. I

Si modo, quod spectet tempus Stipulatio, quæras?
Illud, Contractus quo celebratur, erit.

LEX CXLV

TEXTUS

§. I Uni duo pro solido Heredes esse non possunt.

LEX CXLII Qui tacet, non utique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.

LEX CXLIII Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat; & Successoribus eorum obstabit.

LEX CXLVI Non omne, quod licet, honestum est.

§. I In Stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

LEX CXLV

Qui sciat, atque aliqua de re consentiat ultro,
Immerito fraudem sustinuisse dolet.

LEX CXLVI

Quod quis agit, dum Servus erat, non proficit ipsi,
Cum Libertatis cepit honore frui.

LEX CXLVII

Quæ Specialia sunt, semper Generalibus insunt:
Complecti Species nam Genus omne, palam est.

LEX CXLVIII

Cujus proficiunt effectus omnibus, hisce
Mensura partes proficiuntque pari.

LEX CXLIX

Illius. Factum nosmet præstare necesse est,
Ex qua persona cepimus ante lucrum.

LEX CL

TEXTUS

LEX CXLV Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

LEX CXLVI Quod quis, dum Servus est, egit, proficere libero facto non potest.

LEX CXLVII Semper Specialia Generalibus insunt.

LEX CXLVIII Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent.

LEX CXLIX Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.

LEX CL

Prorsus idem est siquis vel habet, vel possidet, ac si
Non habeat proprio possideatve dolo.

LEX CLI

Nemo facit damnum, nisi quis, quod fecerit, omni
Jure carens, lubitu fecerit ipse suo.

LEX CLII

Incidit in crimen, per vim quodcumque peractum est,
Seu privata hæc vis, publica sive fuit.

§. I

Dejicit is, quoties mandat; licet alter adimplet.
Crimen ubi est, fieri qui jubet, ipse facit:
Par ratio, si non jubeat, sed comprobet; & vi
Illata, ipse ratum, quod facit alter, habet.

§. II

TEXTUS

LEX CL Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quominus possideret vel haberet.

LEX CLI Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

LEX CLII Hoc Jure utimur, ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ aut in vis privatæ crimen incidat.

§. I Dejicit & qui mandat: in maleficio ratihabitio mandato comparatur.

§. II

Heres dat solidum in Contractibus, in quibus omnis
Sit dolus arcendus, sit recolenda fides.

LEX CLIII

Queis primum se quisque modis obstringit, iisdem
Ex adverso actis solvitur inde modis:
Unus nempe modus tribuit, contrarius aufert:
Alter componit, destruit alter opus.

§. I

Ut nulla acquiri poterit Possessio, concors
Ipsum ni fuerit Corpus & ipse Animus:
Sic nullam amitti, constat; Corpusque Animusque
Ni simul oppositum, quod prius egit, agat.

LEX CLIV

Dum par delictum est, atque est fraus æqua duorum;
Non regitur norma sors utriusque pari; *Est*

TEXTUS

§. II In Contractibus, quibus doli præstatio, vel bona fides inest, heres in solidum tenetur.

LEX CLIII Fere quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum, quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittamus.

§. I Ut igitur nulla Possessio acquiri, nisi Animo & Corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum sit.

LEX CLIV Cum par delictum est duorum, semper one- ratur

Est Possessoris melior, sed caussa Petentis
Deterior: cadit hic, firmior ille manet;
Hinc, si conventus fuerit de fraude Petitor,
Hac Possessorem fraude notare nequit.

§. I

Ille petit pœnam, qui pœna immunis eadem est:
Nam petere hanc, debet qui dare, turpe foret.

LEX CLV

Alterius Facto nemo lædatur, oportet:
Par est, Auctori facta nocere suo.

§. I

Utatur qui jure suo, litemque recepto
Ordine promoveat, vi caruisse, patet.

§. II

TEXTUS

ratur Petitor, & melior habetur Possessoris caussa; sicuti fit, cum de dolo excipitur Petitoris: neque enim datur talis replicatio Petitori, AUT SI REI QUOQUE IN EA RE DOLO ACTUM SIT.

§. I Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

LEX CLV Factum cuique suum, non Adversario nocere debet.

§. I Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur.

§. II

Non patitur summum pœnalis Caussa rigorem:
Dura recepta minus, norma benigna magis.

LEX CLVI

Cogitur invitus nemo sua jura tueri:
Consilii quisque est arbiter ipse sui.

§. I

Actio cui dabitur, danda est Exceptio eidem:
Jure quidem refert hanc potiore dari.

§. II

Non nocuisse sibi credat Successor, ut æquum est;
Quæ, cui successit, jam nocuere prius.

§. III

Ut se defendat, vel quid petat Emtor, eadem
Sæpius in caussa, qua fuit Auctor, erit. §.IV.

TEXTUS

§. II In pœnalibus Caussis benignius interpretandum est.

LEX CLVI Invitus nemo rem cogitur defendere.

§. I Cui damus Actiones, eidem & Exceptionem competere multo magis quis dixerit.

§. II Cum quis in alius locum successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit.

§. III Plerumque Emtoris eadem caussa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit Auctoris.

§. IV

Cuncta, favore sui, quæ sunt cuicumque tributa;
Hæc eadem invito ne tribuenda putes.

LEX CLVII

Atrox vi scelus est facinusve, ignoscitur illis,
Qui compelluntur jussa aliena sequi.
Non minus hoc Servos spectat; sed spectat & illos,
Quos Ætas juris non sinit esse sui.

§. I

Siquis fraude facit, quo non videatur habere;
Non secus ac habeat, semper habendus erit.

§. II

Siquem defunctus Contractum exegerat ante,
In quo forte suum constat adesse dolum;

In

TEXTUS

§. IV Quod cuique pro eo præstatur, invito non tribuitur.

LEX CLVII Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, ignoscitur Servis, si vel Dominis, vel iis, qui vice Dominorum sunt, veluti Tutoribus, & Curatoribus, obtemperaverint.

§. I Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet.

§. II In Contractibus Successores ex dolo eorum, quibus

In solidum ex ista Successor fraude tenetur,
Pro qua parte heres scilicet ipse fuit.

LEX CLVIII

Dimissum est, fuerat cui res obnoxia, Pignus;
Rem quoties vendi Creditor ipse sinat.

LEX CLIX

Plures efficiunt caussæ, quo debita nobis
Sit res; quo vero nostra sit, una facit.

LEX CLX

Non est prorsus idem, cum quis consentiat illi,
Qui vendit, quam si venditor ipse fuit.

§. I

Quod per majorem partem fit publice, ad omnes
Pertinet; & pauci si renuere, ratum est. §. II

TEXTUS

bus successerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur; hoc est, unusquisque pro ea parte, qua heres est.

LEX CLVIII Creditor, qui permittit rem venire, Pignus dimittit.

LEX CLIX Non, ut ex pluribus caussis deberi nobis idem potest; ita ex pluribus caussis idem potest nostrum esse.

LEX CLX Aliud est vendere: aliud vendenti consentire.

§. I Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem.

§. II

Plus Juris, quam Testator, sive illius Heres,
Is, cui legatur Fundus, habere nequit.

LEX CLXI

Si quisquam, quum forte potest, implere recuset;
Conditio impleta est, sine potita suo:
Hoc, si Libertas, vel Res legata, vel Heres
Scriptus sub tali conditione, valet:
Et valet hoc ipsum, si non Stipulator adimplet;
Ex quo Promissor caussa sit ipse moræ.

LEX CLXII

Omnia quæ fuerint, Usu cogente, recepta,
Constat, in exemplum non ea posse trahi.

LEX CLXIII

TEXTUS

§. II Absurdum est pluris habere eum, cui legatus sit fundus, quam Heredem, aut ipsum Testatorem, si viveret.

LEX CLXI In Jure Civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset. Quod ad Libertatem, & Legata, & ad heredum Institutiones perducitur. Quibus exemplis Stipulationes quoque committuntur, cum per Promissorem factum esset, quominus Stipulator conditioni pareret.

LEX CLXII Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

LEX CLXIII

Concedit, vendit, nullo discrimine, quisquis
Donandi arbitrium, quo magis optet, habet.

LEX CLXIV

Transit in heredes quod pœnæ nomine prostat
Judicium, acceptum si semel ante fuit.

LEX CLXV

Is, cui distrahere est licitum, Distractibus ipsis
Consentire, pari pro ratione, potest.
Si, non posse aliquem donare probabitur; hujus
Nullus consensus, donet ut alter, erit.

LEX CLXVI

Qui res alterius studeat defendere, haberi
Non poterit Locuples: cautio danda ab eo est.

L LEX CLXVII

TEXTUS

LEX CLXIII Cujus est donandi, eidem & vendendi, & concedendi jus est.

LEX CLXIV Pœnalia Judicia, semel, accepta in Heredes trasmitti possunt.

LEX CLXV Cum quis possit alienare, poterit consentire alienationi: Cui autem donare non conceditur, probandum erit; nec, si donationis caussa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

LEX CLXVI Qui rem alienam defendit, numquam Locuples habetur.

LEX CLXVII

Non data sunt, quæ dantur eo sub tempore, quando
Non habitura in jus accipientis erunt.

§. I

Non est fraude actum, quod jussu Judicis actum est:
Parere imperio quippe necesse fuit.

LEX CLXVIII

Sæpe ex proposito rapienda occasio quævis,
Ut responsa dati quam mage blanda queant.

§. I

Si factum obscurum est, cujusque affectio fiet
Interpres: poterit sic via tuta premi.

LEX CLXIX

Qui dare præcipiat damnum, dabit ipse: carebit
Culpa, si jussus, jussa morare nequit.

§. I

TEXTUS

LEX CLXVII Non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.

§. I Qui jussu Judicis aliquid fecit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

LEX CLXVIII Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum.

§. I Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

LEX CLXIX Is damnum dat, qui jubet dare: ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit.

§. I

Quod pendet, non est, quasi sit; nam distat utrumque.
Pro certo incertum reddere qui potis est?

LEX CLXX

Esse suo, quod agit Judex, de munere debet;
Siquid agat præter munus, id omne ruit.

LEX CLXXI

Solvere quisque nequit cogi, quia forte solutum
Ille recepturus post aliunde foret.

LEX CLXXII

Contra Vendentes sumi mage convenit anceps
Pactum, quod positum venditione fuit.
Sic autem accipitur dubia hæc intentio, ut Actor
Rem salvam obtineat, damna nec ulla ferat.

TEXTUS

§. I Quod pendet, non est pro eo quasi sit.

LEX CLXX Factum a Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.

LEX CLXXI Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod prestiterit.

LEX LCXXII In contrahenda venditione ambiguum pactum contra Venditorem interpretandum est: ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva Actori sit.

LEX CLXXIII

Qui damnetur in id, fieri quod possit ab ipso;
Totum non capitur, ne crucietur inops.

§. I

Lex ubi, Restituas, *inquit; licet addere Fructus*
Præterit, hos tacite restituisse jubet.

§. II

Unicuique nocens sua sit mora. Sic quoque cautum,
Si duo promissam rem voluere Rei.

§. III

Ille dolo faciet, qui quod sibi postulet, inde
Reddendi, cum quis poscat, habebit onus.

LEX CLXXIV

TEXTUS

LEX CLXXIII In condemnatione Personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est; sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.

§. I Cum verbum *Restituas* Lege invenitur, etsi non specialiter de Fructibus additum est; tamen etiam Fructus sunt restituendi.

§. II Unicuique sua mora nocet: quod & in duobus Reis promittendi observatur.

§. III Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

LEX CLXXIV

Conditio impletur, siquis non fecerit illud,
Quod fieri potuit; nam potuisse, sat est.

§. I

Quod quis habere nequit, quoties voluisset; id ipsum
Oblatum cum sit, deseruisse nequit.

LEX CLXXV

Quidquid ab Ingenuis fieri, Civilia Jura
Præcipiunt, Servis non locus esse potest.

§. I

Non mihi conditio est melior, quam convenit illi,
Qui meus est Auctor, jus venit unde mihi.

TEXTUS

LEX CLXXIV Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.

§. I Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

LEX CLXXV In his, quæ officium per Liberas fieri Personas Leges desiderant, Servus intervenire non potest.

§. I Non debeo melioris conditionis esse, quam Auctor meus, a quo jus in me transit.

LEX CLXXVI

Omnia Privatis nusquam concedere tutum ;
Cum fieri imperio Judicis illa queant .
Nam secus hæc pariet tam plena licentia turbas ;
Pax aberit , lites seditiane frement .

§. I

Hæc duo , Libertas , Cognatio , maxima sunto ;
Atque super reliquis hæc numeranda bonis .

LEX CLXXVII

In jus succedens , sive in re , sive sit ad rem ,
Hoc uti , tamquam qui dedit , ipse potest .

§. I

Qui petit , & nescit , quod desit caussa petendi ;
Si quidquam exequitur non bene , fraude vacat .

LEX CLXXVIII

TEXTUS

LEX CLXXVI Non est singulis concedendum , quod per Magistratum publice possit fieri ; ne occasio sit majoris tumultus faciendi .

§. I Infinita æstimatio est Libertatis , & Necessitudinis .

LEX CLXXVII Qui in jus dominiumve alterius succedit , Jure ejus uti debet .

§. I Nemo videtur dolo exequi , qui ignorat caussam, cur non debeat petere .

LEX CLXXVIII

Eadem omnino cum Lege CXXIX.

LEX CLXXIX

Cum mens est ejus, qui Servum liberat, anceps,
Tunc Libertati Jura favere sinunt.

LEX CLXXX

Si jussu alterius videar solvisse, perinde est,
Ac ipsi solvam, qui mihi jussa dedit.

LEX CLXXXI

Ex Tabulis nemo si declarabitur Heres,
Tunc Testamenti vis resoluta cadit.

TEXTUS

LEX CLXXVIII *Prætermittitur, alibi expleta in L.129.*

LEX CLXXIX In obscura voluntate manumittentis, favendum est Libertati.

LEX CLXXX Quod jussu alterius solvitur, pro eo est quasi ipsi solutum esset.

LEX CLXXXI Si nemo subiit hereditatem, omnis vis Testamenti solvitur.

LEX CLXXXII

Numquam fit nostrum, nec vinclo adstringitur ullo,
Quod, ratione sui, nullius esse potest.

LEX CLXXXIII

Quamvis mutandum nihil ex Sollennibus; æquum est,
Cum sit opus, quadam subveniatur ope.

LEX CLXXXIV

Illius certe justa excusatio non est,
Qui vano culpam vult operire metu.

LEX CLXXXV

Quod non possibile est, frustra promittitur: impos
Promissor, sine spe cogitur, hæret iners.

LEX CLXXXVI

TEXTUS

LEX CLXXXII Quod nullius esse potest, id, ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

LEX CLXXXIII Etsi nihil facile mutandum est ex Sollennibus; tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

LEX CLXXXIV Vani timoris justa excusatio non est.

LEX CLXXXV Impossibilium nulla obligatio est.

LEX CLXXXVI

Quæ certo solvenda die sinat insita rerum
Conditio, effectu, qui petat ante, caret.
Et, cum solvendo Tempus placet addere; recte
Non nisi præterito hoc Tempore quisquis aget.

LEX CLXXXVII

Prægnantem uxorem qui post sua fata relinquit,
Extremos claudit non sine prole dies.

LEX CLXXXVIII

Cum duo Testator, quæ sint pugnantia secum
Præscribat; neutrum creditur esse ratum.

§. I

Quæ rerum Natura vetat, Lex nulla reperta est,
Præcipere imperio quæ velit illa suo.

LEX CLXXXIX

TEXTUS

LEX CLXXXVI Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit; &, cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito peti non potest.

LEX CLXXXVII Siquis prægnantem uxorem reliquerit, non videtur sine liberis decessisse.

LEX CLXXXVIII Ubi pugnantia inter se in Testamento juberentur, neutrum ratum est.

§. I Quæ rerum natura prohibentur, nulla Lege confirmata sunt.

LEX CLXXXIX

Pupillus nec velle aliquid, nec nolle, videtur;
Ni Tutor pro re, quam gerat, auctor erit.
Quodque animi fit judicio, fit inaniter, absens
Si fuerit; curet nec dare Tutor opem.

LEX CXC

Omne quod evinci possit, nobisque revelli,
Non hoc in nostris dicitur esse bonis.

LEX CXCI

Quæsitum est, an quæ Viventi indulserat, ipsi
Defuncto Princeps hæc quoque danda velit.
Neratius negat hoc; sed Princeps æstimet, inquit,
Quem benefacta a se fint habitura modum.

LEX CXCII

TEXTUS

LEX CLXXXIX Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi, adposita Tutoris auctoritate, creditur: nam, quod animi judicio fit, in eo Tutoris auctoritas necessaria est.

LEX CXC Quod evincitur, in bonis non est.

LEX CXCI Neratius consultus, an quod beneficium dare se, quasi Viventi, Cæsar rescripserit, jam Defuncto dedisse existimaretur; Respondit, Non videri sibi, Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, Defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse.

LEX CXCII

Quod non dividitur, ſolidum dare quiſque tenetur
Heredum: partem nam dare nemo poteſt.

§. I

Res dubium involvens, ſenſu accipienda benigno eſt;
Non minus hoc juſtum, tutius eſſe ſolet.

LEX CXCIII

Non aliter jus heredis cenſebitur, ac ſi
Heres, defuncto vix obeunte, foret.

LEX CXCIV

Heredum quamvis longa eſt ſucceſſio; ſic eſt
Heres poſtremus, qui fuit ante prior.

LEX CXCV

TEXTUS

LEX CXCII Ea, quæ in partes dividi non poſſunt, ſolida a ſingulis heredibus debentur.

§ I In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius.

LEX CXCIII Omnia fere jura heredum perinde habentur, ac ſi continuo ſub tempus mortis extitiſſent.

LEX CXCIV Qui per ſucceſſionem, quamvis longiſſimam, Defuncto heredes conſtiterunt, non minus heredes intelliguntur, quam qui principaliter heredes exiſtunt.

LEX CXCV

Ut quædam noceant, ea ſint expreſſa, neceſſe eſt:
Non expreſſa tamen ſunt nocitura nihil.

LEX CXCVI

Indulgens quædam Jus Privilegia donat,
Quæ Perſona ſibi, vel ſibi Cauſſa petat.
Illud, quod Cauſſæ conceditur, obtinet Heres:
Illo, Perſonæ quod datur, ipſe caret.

LEX CXCVII

Non id, quod liceat, perpendimus, at quod honeſtum,
Cum ſit Connubii diſcutiendus honos.

LEX CXCVIII

Fraude ſua Tutor numquam nocuiſſe videtur
Pupillo, aut potis eſt ſolvere, ſive nequit.

LEX CXCIX

TEXTUS

LEX CXCV Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.

LEX CXCVI Privilegia quædam Cauſſæ ſunt, quædam Perſonæ. Et ideo quædam ad Heredem tranſmittuntur, quæ Cauſſæ ſunt: quæ Perſonæ ſunt, ad Heredem non tranſeunt.

LEX CXCVII Semper in Conjunctionibus non ſolum quid liceat, conſiderandum eſt; ſed & quid honeſtum ſit.

LEX CXCVIII Neque in Interdicto, neque in cæteris causſis Pupillo nocere oportet dolum Tutoris, ſive ſolvendo eſt, ſive non.

L E X   C X C I X

Qui Jus dicenti non pareat , atque recuſet
Submitti imperio , non vacat ille dolo .

L E X   C C

Eligere id fas eſt , minimum quod habebit iniqui,
Inveſtigari ſi ſine fraude poteſt .

L E X   C C I

Teſtantum ſiqua eſt in origine recta voluntas ,
Fruſtrata eventu non erit illa ſuo .

L E X   C C I I

Qualibet in Jure eſt male Definitio tuta ;
Quin ſubvertatur deficiatque , parum eſt .

LEX CCIII

T E X T U S

LEX CXCIX Non poteſt dolo carere , qui imperio Magiſtratus non paruit .

LEX CC Quotiens nihil ſine captione inveſtigari poteſt, eligendum eſt , quod minimum habeat iniquitatis .

LEX CCI Omnia , quæ ex teſtamento proficiſcuntur , ita ſtatum eventus capiunt , ſi initium quoque ſine vitio ceperint .

LEX CCII Omnis Definitio in Jure Civili periculoſa eſt; parum eſt enim , ut non ſubverti poſſit.

LEX CCIII

Damnum, quo premitur, frustra sentire dolebit,
Qui culpa damnum sentiet ipse sua.

LEX CCIV

Utilitas minor his, quibus Actio competit; illis
Major, queis, ipsam Rem retinere, datur.

LEX CCV

Fit plerumque, ut res, nobis quæ possit abire,
Prostet eo, quo non possit abire, statu.
Hinc is, qui Fisco res obligat, utitur illis,
Distrahit, & repetit, servitioque dicat.

LEX CCVI

Hoc æquum, hoc sanctum est Naturæ legibus, alter
Ne damno alterius ditior esse queat.

LEX CCVII

TEXTUS

LEX CCIII Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur sentire.

LEX CCIV Minus est Actionem habere, quam Rem.

LEX CCV Plerumque fit, ut etiam ea, quæ nobis abire possint, perinde in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: & ideo quod Fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus.

LEX CCVI Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.

L E X   C C V I I

Quod, re perpensa, Judex decernit, habetur
Pro vero; ne dein mens agitata nutet.

L E X   C C V I I I

Hoc exploratum, quod non desistat habere
Is, de quo constet nil habuisse prius.

L E X   C C I X

Est servire genus mortis. Cui deficit usus
Libertatis, idem est vivere, sive mori.

L E X   C C X

Heredem instituens, quoties sit inutilis actus,
Non ex postfacto convaluisse potest.

L E X   C C X I

Majestas Populi, Romanæ & gloria stirpis,
Pro Patria Servos haud procul esse sinit.

CON-

T E X T U S

LEX CCVII Res judicata pro veritate accipitur.

LEX CCVIII Non potest videri desiisse habere, qui numquam habuit.

LEX CCIX Servitutem Mortalitati fere comparamus.

LEX CCX Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest.

LEX CCXI Servus Reipublicæ causa abesse non potest.

CONCLUSIO.

Perge modesta, meo prognata Periphrasis œstro:
Lectorem, ut veniam det tibi, cauta roges.
Par est, ut Vati placeas, Legumque Perito:
Hic Jus ad trutinam pendit, & iste Metrum.
Alterutro pecces: alter commendet, & alter
Tentamen damnet propositumque tuum.
Si faveant Musæ, sed multa peritia Juris
Deficiat; vacuus languet honore labor.
Contra, si niteant Leges, sed inepta Poesis
Serpat humi; parva dote fatiscit Opus.
Si tamen (avertant Superi) peccabis utroque;
Nil spera: frontem deprime: tota peris.
Quare, si merito nequeas, tu supplice vultu
Atque hunc, atque illum conciliare stude.
Dic, non ut volumus, sed quantum possumus, in re
Difficili, dubia non nisi sorte, damus.

Post

Poſt recitatam hanc Periphraſim, communis ac ingens increbruit plauſus. Elegantius nihil, nihil fieri poſſe nitidius ac emendatius, unanimis ſtatuit conſenſus : politiſſimi metri leporem, ingenuæ dictionis perſpicuitatem, concinnos argutoſque verborum ambitus, ac difficilium ſententiarum vividam ſpirantemque animam, in his verſibus ornate diffuſam, ſinguli vidimus, & non parum admirati ſumus. Nautius, tot laudum, præ miti ingenio ſuo, inimicus, obſequium ſuo egregio labori debitum, quod ulterius ſine adulatione excurriſſet, inhibuit. Et, ſat eſt, inquit : modum humanitati veſtræ, Sodales, ponite. Summo honori meo tribuo, quod poſt fatigatam diu patientiam veſtram in his exponendis nugis, numquam vos tædio affectos, numquam alio intentos præ mora ac faſtidio, ſim expertus : immo, elato quodam ſpiritu auſcultantes, & nova ſemper curioſitate erectos, præter pauperrimæ meæ lucubrationis meritum, ac ſupra deſiderii mei expectationem, conſpexerim. Quamobrem ad uberrimas vobis grates reddendas cogor quam qui maxime. Tunc Pinarius, vel invito Nautio, in hæc verba ſilentium rupit : Et, quod felix, ait, fauſtum fortunatumque ſit bonis Litteris, ac noſtræ præſertim Juriſprudentiæ, hoc inſigni acquiſito Poeſeos monumento, tantaque addita Legum ſtudio dignitate ac fortuna : neque enim molle aliquid ex hac Periphraſi ac infructuoſum auribus conciliatur lenocinium, quod fugit ac pervolat ; ſed ſolidum ac pingue menti commentarium aperitur, quod illam dulciter lenit, ac ſapienter inſtruit ; magnumque ſibi memoria comparat adjumentum : unde, ſuavitate quadam allecta, non autem inextricabili nodo circumvoluta, præcipuarum Definitionum Juris collectionem, tamquam divitem hujus Diſciplinæ penum retineat ; melius forſan, quam olim Romana pubes Leges XII Tabularum, veluti carmen addiſcebat ; quibus deliciæ ac condimenta deerant ob ſermonis infantiam, & verborum ruſticitatem, nota nimis primævæ illius ac incultæ ætatis impedimenta, quando Latina virtus diſcebat potius vincere ac imperare, quam

ornate loqui, & blandimentis pectus demulcere. Ad hæc Numicius: Dicam, Nauti, quod antea tacui; nec imprudens tunc visum tacendi consilium; nam te a perficiendæ Periphrasis instituto nolui avertere: nunc in tui commendationem & dicere oportet, & dicam lubentissime. Scito, non unum te, sed alios ad hoc opus manus apposuisse: lectitasse me recordor hunc Regularum Juris Titulum 1 carmine hexametro redditum ab *Hieronymo Eleno Balensi*. Ubi in hunc Scriptorem incidi (fatear ingenue) quamvis oblectamenti ceperim nihil; laudavi tamen audax & innocue superbum propositum; excusavi imbecillitatem, ratus, nihil in re tam ardua edi posse accuratius. Nunc vero, tua audita Periphrasi, quæ sanitatem integritatemque præsefert admirabilem, tantaque gaudet elegantia ac facilitate, ut ea [2 verbis utar M.Tullii Ciceronis] *imitabilis quidem videatur esse existimanti, sed nihil sit experienti minus*; sordent profecto *Eleni* quisquiliæ, insulsitatem ac insolentiam redolentes; in quibus nullus flos, nullus color, nullus verborum delectus, nulla apta ac rotunda constructio: pallida ac miseran-

1 *Carmine hexametro redditum ab Hieronymo Eleno, Balensi*] In Thesauro Juris Romani, tom. II extant hujus Auctoris Opuscula; de quo hæc habet Everardus Otto in Præfatione: *Hieronymus Elenus, Brabantus, qui Aureliis Jurisprudentiam, a Theodorico Noppeno, Lutetiæ Parisiorum græcas literas, præeunte Strafelio, didicit; & utrobique gavisus est familiaritate Joachimi Hopperi, postea Præsidis Belgicæ amplissimi; ex cujus colloquiis multum se profecisse, plus semel agnoscit. Lovanii Cathedram juridicam nactus, tres Orationes habuit satis elegantes; quibus viam monstravit regiam, quam eos insistere oporteat, qui Jurisprudentiæ nomen dederunt; atque hæ primo Diatribarum libro continentur: altero varias Juris quæstiones tractavit: tertio autem* Titulum *de Regulis Juris metro complexus est*.

(2) *Verbis utar M. Tullii Ciceronis*) in Orat. cap. XXIII

feranda in vultuoso ac tetro versuum excursu circumvolat Poeseos imago; nec per venas sanus ac incorruptus Latinæ linguæ sanguis defluit ac circumvolvitur: languet undique, hæret, implicatur cæcata quædam oratio, ne paullum quidem ab humili tellure assurgens, quæ aures offendit ac turbat, quarum judicium nimis est delicatum, ac, teste Cicerone, superbissimum; atque adeo numeris caret, ut plerisque in locis 1 solutam potius, quam ligatam exi-

(1) *Solutam potius, quam ligatam existimes*) Quæ hic numerantur vitia in *Eleno* longum foret, singillatim exponere: legenti tamen patent ad oculum. Præstat tamen, aliquot versus inter plurimos hoc loco recensere, qui nullam metri gratiam; sed illepidam quamdam solutæ orationis referunt imaginem. En quomodo nonnullæ leges hujus Tituli, servata tantum misera pedum mensura, omni prorsus excluso concentu, compactæ sunt.

Lex, *Nemo*, 43.
Se debere negans, defendendi ratione
Uti non una poterit: Verum actio ad unam
Unica rem, quoties concurrunt, instituenda est.

Lex, *Consilii*, 47. §. 1.
Non meus es socius, quamvis socii socius sis.

Lex, *Culpa caret*, 50.
Scire extra culpam est, cum non possis prohibere.

Lex, *Quo tutela*, 73. §. 3.
In testamento sic scriptum, intelligi, ut inde
Nil possit, pro non scripto debet reputari.

Lex, *Generaliter*, 78.
Cum de fraude agitur, generaliter inspiciendũ est,
Quidnam non potuit fraude adversarii haberi.

Lex, *Non solet*, 86.
Conditionem nemo suam sibi deteriorem
Contestando facit litem; at vero meliorem.

Lex, *Nemo*, 103.
Nemo domo propria est educendus violenter.

Lex, *In eo*, 110. §. 4.
Fœminæ hactenus est levitati subveniendum,
Non ut defraudent, sed ne fraudem patiantur.

Lex, *Non videntur data*, 127.
Non

existimes. His dictis, congressus solvitur. Flavius & Anicius, summa perfusi delectatione abeunt. Sed, inter dulces abeundi affectus, rogant, ut in crastinum, ad ipsos domi suæ invisendos, nos accederemus. Lubenter assentimur, & certo promittimus; præsertim, cum mox discessuri jam hoc præstare officium, ut par erat, nos meditaremur.

Pomeridianis itaque posterioris diei horis, ad Flavium & Anicium proficiscimur, qui, quamvis longiusculo, facili tamen intervallo, a nostris ædibus distabant. Inter eundum, res accidit, lepida, hercle, ac ridicula; pessimi tamen exempli futura, nisi initium, malo omine natum, pacatus clauderet eventus. Ante semirutam fumosamque Cauponam, quæ nobis fit obvia, fæcem hominum vidimus, mutuo conflictu & abnormi clamore ferocientem. Accedere nec tutum nec decorum putavimus: ubi enim vinum in animos truculentum gerit imperium, nulla prorsus speranda in quosvis reverentia; immo timendum valde de incolumitate sub ebrio Numine, nimis insolente officiorum magistro. Placuit igitur, exorti hujus prælii, visu non injucundi, procul a turba, fieri spe-

Non data sunt, quæ non fiunt statim accipientis.
Lex, *Qui in servitute*, 160.
Cum Servi non possideant, sed possideantur,
Nimirum nihil acquirent usucapione.
Lex, *Qui tacet*, 184.
Qui tacuit nihil est fassus, nihil inficiatus.
Lex, *Non omne*, 186. §. 1.
Inspicimus tempus contractus in stipulatu.
Lex, *Hoc jure utimur* 194. §. 1.
Semper enim ratum habere, & mandare, æquiparantur.
Lex, *Invitus*, 198. §. 4.
Quod cuiquam præstatur, id invito haud tribuetur.

Sed quis omnes hujuscemodi versus enumeret, cum paucos possit excipere, quibus vulgaris saltem carminis sonus concilietur; & quis insuper non ipsius Textus prosam amet potius, quam istius infelicissimæ Poesis pauperiem?

ſpectatores; eo interpoſito ſpatio, quo & audire, & cognoſcere, quid ageretur, ſine offenſionis metu, poſſemus. Juvenum peſſime feriatorum manus (uti fuit poſtea nobis de rixæ exordio relatum) ventrem ſibi vino ac eſculentis immoderate ſaginaverat; forſan immemor ac negligens, quantum foret Cauponi præ nimia intemperantia ſolvendum; aut, quæ eſt veriſimilior conjectura, ex compacto inſtructa, ut fucum ei faceret, & pretii expectationem deluderet. Expleto prandio, ubi ad numerandam pecuniam cogitur; alius ridet, ſilet alius, hic ſomniculoſos fricat oculos, ille fingit non intelligere. Joco id fieri, primum Caupo opinatur: non ſtatim conqueritur: non importune inſtat: parumper moratur; &, ut in ſanam mentem redeant, expectat. Sed, ubi ſua falli opinione, videt; illoſque ad diſceſſum paratos conſpicit; clamat, inſequitur; & ex his unum, qui primus ei objicitur, manibus capit, & per brachia retinet arctiſſime. Æs poſtulat. Ille præſenti ſpiritu, jam ſolutum, inquit. Addit: Quid amplius extorquere vis, pecuniæ accipiter avide atque inviſe? Immo, quod e rapina ſupereſt, nam plus æquo dedimus, ſtatim reddas; ſecus tibi oculos elidam, ut ſepiis faciunt coqui. Tu mihi æs? tunc Caupo; tune æs mihi, flagri gymnaſium, virgarum laſcivia? Quo colore hoc æs tinctum, qua cuſum imagine? Illud nempe quod tua virtute eximia paraſti, impure, inhoneſte, illex, labes populi? Eximia, inquam virtute tua, quæ fœda nobilitat latrocinia, & exoſas paſcit impuritias. Ad hæc alter: Niſi tu, impudentiæ ſimulacrum, carnificinum cribrum, plura effutire deſinas, & me male olentibus iſtis lacertis retinere deſiſtas; te follem pugillatorium faciam, & pendentem pugnis incurſam. Huc uſque mala verba; ſed periculi parum: ſequuntur facta; in his vero non levis timor. Immiſcentur hinc illinc manus manibus; pedes pedibus implicantur; ægro & inflammato anhelitu, multoque atro ſudore æſtuat unuſquiſque. Hic illius faciem unguibus lacerat: alter curvato ſuo capite alterius caput, tamquam taurus ignivomus, percutit: ſub duris alapis in utroque viciſſim crepitant

M 3 malæ;

malæ; & cavis lateribus graves ac obtusi ingeminantur ictus. Dum in hunc modum pugna fervebat, duo canes ferocis ingenii, qui in stabulo, post corrosam edaci dente ossium congeriem, humi projecti obdormiebant, tanto fremitu experrecti, quamvis ferrea catena collum impediti, anterioribus pedibus erecti, immenso latratu viciniam feriunt, & inanes ad vetitum cursum saltus meditantur, ut in tutelam domini accurrant, & rabido morsu injuriam vindicent. Cauponis Uxor, quæ ante focum sedebat, de infausto mariti casu certior facta; depositis colo ac fuso, quem nendo digitis volvebat; arreptoque veru, quod carnem adhuc ad prunas torrendam sustinebat; ut erat obesa ac tardipes, pergit, scissa coma, nutantibus musculosis humeris turgidisq;mammis. Sed a nescio quo ex illa furciferorum natione, circa uterum calce perculsa, statim fracta, elumbis ac semiviva labitur; & immundo ore maligniora quæque, novissima fœminei furoris arma, in eum imprecatur. Supervenit etiam Vetula rugosa & putida, unocula ac edentula, suarumque virium parum conscia, & hac illac circumcursans, rauca quassataque voce, parum intellectas jactabat minas & convicia, qualia ei ministrabat senilis ac stupida impatientia; imbellique dextera lapides, neminem debili impulsu ferituros, ejaculabatur: pessimo quidem successu; nam in illius manus incidit, a quo Cauponis Uxor nimis belle ac commode dolata fuit. Quare vir ille improbus, capillamento hujus annosæ mulierculæ intra suum pugnum contorto, quaque versus eam cœno sordidam traducit ac convoluit; delassatamque humi inter lacrimas & ejulatus relinquit. Sub hoc infelici aspectu, tres Cauponis filiolæ, meticulosæ ac gemebundæ, utut vellent ad paternum levamen, ad matris & aniculæ præsidium accurrere; ætate & sexu retentæ, nunc movent, nunc retinent gradus; & in ancipiti consilio fremunt dolentque; auxilioque impares, circum lumina irrequieta volvunt, ut aliquem propius videant, quem advocent. Nos, longe, & quadam industria abditos, non aspiciunt; alium prorsus non inveniunt. Ad Superos se con-

convertunt : hos fletu & precibus fatigant, ut ad inopini infortunii patrocinium sese flectant, & malum magis magisque crudescens interrumpant. Interea Caupo & adversarius post longam colluctationem, una simul concidunt; superior tamen Caupo, cui corpus validius, artus solidi ac nervosi. Is, flexis compressisque in adversarii abdomen genubus fortiter incubat; quo situ, parum absfuit, quin illi anima per os, per nares, per oculos moribunda effugeret: cui periculo ipsemet, instar miraculi, se subtraxit, dextera manu usus, ab omni obstaculo libera. Hac igitur Cauponis guttur & fauces multa vi obstrinxit, & iter ad respirationem pene clausit universum. Tunc socii, hinc illinc aberrantes, ut eorum contubernali in extrema fortuna suppetias ferrent, uno concursu, in Cauponem impetum faciunt; cui vita incolumis contra plures non foret; nisi ingenti tumultu admoniti de proximo agricolæ, aratro tellurem vertentes, ad sedandam rixam convolarent. Ex his alii nodosis ac prægrandibus baculis, alii ruralibus instrumentis medios sese offerunt; & minaci ac effero vultu, manibusque ad percutiendum paratis, hosce malignos fures terrent, & ad præcipitem fugam sollicitant. Sed auxiliatores isti, divinitus missi, non hoc tantum contenti, insequuntur; & fugientium uni pallium, pileum alteri detrahunt: & Cauponi utrumque, ut ei de pretio potus & comissationis cautum sit, pignori tradunt; impelluntque, ut recta ad Magistratum pergat; ex ordine narret omnia; tanto sceleri pœnas dari petat acerrime.

Compositis sedatisque rebus, nos partim commiseratione perculsi, partim risu (qui in casibus hujuscemodi, licet periculosis, quodam naturæ instinctu, raro continetur) ultra progredimur; & brevi ad ædes Flavii & Anicii pervenimus. Salute inter nos data & accepta; atque occupatis in circum sedibus, ad id dispositis, inter prima colloquia, quod nuper per viam de fato Cauponis accidit, distincte retulimus: quam narrationem, hercle, curiosam, Adolescentes optimi, diviso affectu inter hilaritatem & misericordiam, erectisque auribus, avidissime

exceperunt. Varius deinde nec inamœnus excitatur sermo; in cujus excursu, Nautius hos amabiles Juvenes interrogat, quibus sese Facultatibus in suavissimo hujus insulæ otio exercerent. Respondet Flavius: Contubernalis meus Anicius Philosophicis & Mathematicis disciplinis, quas in deliciis habet, sedulo vacat. Ego, nativa quadam propensione, Poeticis maxime delector. Quam bene, iterum Nautius: sed occasio isthæc e nostris non dilabatur manibus. Age, age, nobis aliquid prode, a te Phœbeo numine conflatum. Erit hoc jucundissimum: nam, quid ab arguto nitidoque ingenio tuo non est expectandum, quod nedum omnium impleat, sed superet expectationem? Non renuo, inquit Flavius: habeo Carmen nuper elaboratum, magnifici quidem argumenti, nescio, num bene pro dignitate sua tornati; M.Atilii Reguli facinus omni ævo memorandum depingit ac exornat: memoriter teneo; &, quoniam ad id invitatis, lubens volensque recito.

Impavida certare manu, victricibus armis
Expugnare Urbes, inimico imponere collo
Triste jugum; dos magna: sed hæc communis ubique
Tot populis, quorum gestis antiqua referta est
Historia, atque recens parat hæc exempla futuris.
Ast animum fortem gerere; adversoque minacis
Fortunæ genio, servare immobile pectus,
Romanum hoc unum est: nulli hæc imitabilis, ornat
Hanc gentem, virtus, pretio sudoris adepta.
Ecce tibi, quæ nunc oculis versatur imago
Nobilis, invidiam factura rubore dolentem.
Regulus hic ille est, ille imperterritus heros,
Per quem Romanæ dettersa infamia fronti;
Redditaque hostilis sine honore superbia: per quem
Grata parum evasit victoria, splendida clades
Accepta, & nituit culpa emendata decoro
Exemplo, quod non alias cognoverat Orbis;
Quodque etiam in præsens sera admiratio adorat.

Captus

Captus hic a Pœnis, patriam juratus ad Urbem
Mittitur, his pactis, ut permutata Juventus
Hinc illinc captiva foret: renuente Senatu
Isthæc pacta sequi, ad servilia vincla rediret.
Venit, non qualis sperandus, amore suorum
Marcidus, accensusque cupidine libertatis;
Sed propriæ ipsius trux accusator inertis
Militiæ, & læsæ famæ implacabilis ultor.
Erubuit, Latias acies languore pudendo
Deposuisse animos; viles, sine cæde, sine ullo
Fortiter effuso per mille pericla cruore,
Terga dedisse fugæ, cessisse ignaviter armis:
Immemores, debere mori, seu vincere bello,
Illos, queis venæ Romano sanguine turgent;
Ut palmæ aut cineres illustrent gesta; nec umquam,
Quæ morte est pejor, sit debita vita timori.
Jamque inter Patres admittitur; atque ita fatur:
Idem ac discessi, redeo; nil, scilicet, a me
Dissimilis: Patriam totis conatibus absens,
Tota vi præsens cupidus defendere: vita
Incolumi, hic unus mea pectora detinet ardor.
Quid poscunt Pœni, exponam. Sibi reddier optant
Captivos hac Urbe suos, & reddere nostros
Promittunt: facilis sane res credita ab ipsis,
Sed mihi dura: meoque lubens discrimine dicam.
Si datis hoc, vivam: moriar, si forte negatis.
Sed vixisse pudet: precium est ignobile vitæ,
Si concedatur quidquid concedere turpe est.
Expedit, ut moriar, quoties hac morte pietur
Dedecus, & nostræ redeat sua gloria genti.
Ergone, quos damnat socordia, præmia dentur
Militibus nostris? Civis Romanus habendus,
Tam qui torpet iners, quam qui sub marte laborat?
Indignos reor hos, quibus acquiratur iniquo
Libertas dono: pejores hos fore, credam;
Cum nova bella parat Respublica; quodque lubenter
Obtinuere semel, rursum his sperare licebit;
Atque alias pariet nocua indulgentia culpas:

Pes-

Peccandi caussas peccati pœna revellit.
Qui parcit, scelus invitat: prorsusque negata
Immeritis venia, quis erit, qui prodere tentet
Ancipitem Patriæ, bello fervente, salutem?
Hoc, precor, efficite: hoc gravitas hujusce verendi
Consessus poscit: cunctisque probabitur, uti
Consilio non ante dato. Deponite curam
De me, deque meo fato, quod acerbius instat:
Expecto & cupio, constanter ferre paratus.
Barbara ne posthac tollat caput, atque probrosis
Altior Italiæ fiat Carthago ruinis.
Illustres Majorum Animæ, quæ excurritis agros
Elysios, meritis claræ & sublimibus ausis,
Quorum famosæ venerantur ab hostibus Umbræ,
Si vos, vivendo Romam evexistis ad astra,
Et nunc, mortuæ adhuc, valide defenditis; istos,
Quos mea nunc profert justa indignatio sensus,
In commune bonum, in Patriæ firmate decorem.
Dixerat: & Patrum mentes Oratio flexit:
Remque ita consensu statuunt. Ubi prodiit ista,
Visa statim est tanto sententia digna Senatu.
Egregium laudare Virum pars incipit; & pars,
Illius præsaga necis, mœrore gravari.
In lacrimas Nati, in lacrimas dulcissima Conjux
Prorumpit, genua amplecti studet, oscula fronti
Figere, & assiduis cælum undique questubus implet.
Illum etiam frenant Socii, impediuntque Propinqui,
Ne citius redeat; meliusque a tempore speret
Consilium: Præceps est dilatanda voluntas,
Exclamant; male fit quidquid primo impete fiat.
Ille tamen, veluti rupes firmissima, nusquam
Flentibus hinc Natis, hinc Conjuge flente movetur.
Despicit amplexus, atque oscula mixta querelis:
Non Sociis curat, non respondere Propinquis:
Nil caussis vitæ exitium minitantibus, & nil
Ærumnis, queis tota domus subversa peribat,
Flectitur. Impavidus, constans, & fixus eodem
Proposito, tamquam redimitus tempora lauro,

Ad

Ad solennem iret , populo plaudente , triumphum ,
Non tamquam ad mortem , tristissima victima, iturus,
Evolat ad Pœnos ; gaudens , victoribus isthæc
Responsa , a victis non expectanda , referre .
Hos cives , tam grandem animam invictamque gerentes,
Et contemtores lethi , famamque perennem
Optantes avide , tulit Urbs generosa Quiritum .
Hæc tamen , hæc , inquam, memoranda coarguit ætas ,
Quidquid dein fæde seclis nequioribus actum est;
Cum capiti huic Orbis Civilia bella nitorem ,
Et justum imperium fato extinxere maligno .
Tunc vitiis quæsitus honos , & turgida fastu
Immerito , atque comes scelerum , inventrixque pudendi
Tot fraudum , ambitio , lasciva sævit aula .
Pulsus amor Patriæ , spreta observantia Juris ,
Fracta fides , violata & belli & pacis honestas,
Terrens , allicienfque olim , quos fregerat , hostes;
Qui victi , non tam sævis victoribus ipsos
Subdi , sed caros miscerier inter amicos
Credebant ; natasque humana ex indole Leges
Accipere , & ratione animos mollire feroces ;
Barbariemque novo fauste deponere cultu .
Ah ! Sic conditio est hominum . Constantia rara est
Rebus in humanis . Quid non convertitis , eheu !
Tempora , tam misere primæva ab origine lapsa,
In nostros pejora dehinc abitura nepotes .

Expleta Carminis recitatione , nullam , inquit Nautius , parem , quæ tibi cedere debeat , laudem invenimus, Flavi dilectissime . Partum edidit ingenium tuum , quod concipere non poterat , nisi mens generoso quodam spiritu afflata , & sapiente furore percita. Exulat a te frigida sententiarum vilitas: voces non admittuntur ex immundis vulgi labiis evocatæ . In factis graphice describendis , summa eminet gravitas : in commovendis opportune affectibus mira triumphat felicitas . Ad hanc commendationem placide ac modeste subrisit Flavius : &, ne hisce laudi-

laudibus tumidus ac inflatus videretur, quod ejus merito debebatur, totum benevolentiæ nostræ tribuit. Interea accedunt famuli: dulcia fercula exquisitissimi & delicati saporis exhibent; atque aquam bibendam afferunt, vel ipsos crystallinos scyphos præ denso frigore adumbrantem. Actis de tanta humanitate gratiis; ita ad Nautium Pinarius: Juvat hic coram Flavio & Anicio, aliquem de nostro Titulo Regularum Juris sermonem conserere. Ad te pertinet, Nauti, qui tam erudite hanc provinciam aliis disputationibus adornasti, hoc munus libenter suscipere, & doctissime explere. Ad hæc Nautius: Siquid argumenti superest, Pinari, quod pro mea virium imbecillitate expendam, propone: efficiam, quantum potero, ut desiderio saltem tuo, si non ipsi satisfaciam argumento. Memini, Pinarius inquit, illud peractis diebus inter differendum, ubi tu cum Institutionibus Regulas Juris comparabas, ex ore tuo excidisse, Institutiones in hujus studii ingressu, in exitu Regulas Juris esse addiscendas. Concordem in hac opinione Scriptorum sententiam non video: rationes hinc inde nutant: utri adhæreamus, nolo statuat arbitrium, quod sæpe fallitur; sed auctoritas tua, quæ res dubias rectissimo judicio solvit, & fluctuantes animos in tutiorem partem traducit ac confirmat. Hæc audiens Natius, Non inficior, ait, id me asseruisse: id in præsens ratum habeo: id demum caussis, quibus moveor, defendam. Rogo tamen obtestorque, ne, quæ libere dicam, inconsulto vos accipiatis: aduncus vobis non deest nasus: ex his, quæ sum in medium allaturus, digna siqua sint, excipite; prorsus inepta repellite. Vestrum judicium satius duco, quam meum: & quoties erroribus me involvam, a nemine corrigi ac emendari magis cupio, quam a vobis, qui summam humanitatem cum eximia sapientia conjungitis. Itaque ad propositum veniamus. Pugnant sane, ut in antecessum monuit Pinarius, Interpretes gravissimi, incipienda ne ab hoc Titulo, an in eo studia ab adolescentibus absolvenda. Quæstio mihi visa inutilis; nisi foret a nomine & fama pugnantium nobilitata; & hoc uno

digna

digna expendi, quod a clariſſimis excitetur ingeniis. Cæterum, cum ſatis ſuperque omnibus compertum ſit, faciliora quæque arripi prius debere, difficiliora ſecundis curis dicari; nullus dubio ſupereſt locus, quin in veſtibulo Inſtitutiones pervolvantur, in quibus pronior blandiorque facilitas: expleto dein hujus Facultatis curſu, Regulæ Juris ſuccedant, in quibus major latitat, mentemque torquet difficultas. Sed ne videar levi brachio quæſtionem hanc pertractare, eamque paucis hiſce verbis abſolvere; ad controverſiæ penetralia propius accedo: nec aliud puto efficiendum, quam retundere adverſariorum tela; ut, iis devictis, ea triumphet opinio, quæ oppoſitoribus caret. Omnes vero aggredi, nec volo, nec opus eſt: unum deligam, qui omnia colligit, quique eſt a me nominatus ſæpe, & non ſine honore ſemper nominabitur, Jacobum nempe Gothofredum. Is aliam mentem gerit [1]; & ita ſcribit: *Inter ipſa civilium ſtudiorum, ſeu Juris diſcendi primordia, Studioſorum animos generalibus Regulis, & hoc quidem Titulo comprehenſis, imbuendos atque initiandos, recte cenſet melior ſaniorque Juris Interpretum pars*. Hem, quæ eſt iſthæc melior ſaniorque Juris Interpretum pars? Ii nempe, qui diuturno labore hujus Artis intimos luſtrarunt receſſus? Profecto ſuſpectum mihi iſtorum eſt judicium: ex ſuis viribus decernunt, quid vellent; non ex aliorum imbecillitate, quid poſſint: tales alios putant, quales vident ſeipſos. Male quidem de ſuſtinendo onere exiſtimat, qui nimio pollet robore: male de jejuno ventre, qui ſatur eſt, & pingui cibo ſaginatus. Teſtes hic advoco rudes ac imberbes juvenes: hos volo: ab his cupio bona fide cognoſcere, quid ex hoc Titulo percipiant inter exſucca atque arida hujus ſtudii primordia. Porro, quæ eſt iſthæc melior ſaniorque Juris Interpretum pars? Fingit hæc Gothofredus, an ex animo loquitur? In hac præclariſſima, quam

[1] *Et ita ſcribit*] In Commentario Leg. 1. hoc Tit. circa finem.

quam nominat, non autem explicat, Interpretum turba Cujacium non invenio: illum sane, qui mihi instar omnium est, & supra quoscumque, qui famam in Jurisprudentia sibi compararunt, unus eminet. Sed, quo pacto, in hac meliore & saniore parte Cujacius erat inveniendus; 1 cum iste prorsus oppositam foveat sententiam, ab iis deserendam, qui Cujacium ne nomine quidem tenus norunt; aut ejus ingenii delicias, corrupti palati vitio, numquã gustarunt? Sequatur qui velit meliorem istam ac saniorem Interpretum partem, cujus sit assecla Gothofredus. Sortem ei non invideo: alios ego, & sane non e trivio ac proletaria fæce, impavidus sequar: qui si etiam deessent, alter essem a Cujacio hujus opinionis tutor acerrimus; contentus societate unius, qui auctoritate sua adeo meum firmat animum, ut tutiorem sententiam ab aliorum omnium consortio frustra sperarem. Sed, ait Gothofredus, eorum argumenta, qui ab ipso aliud sentiunt, vel leviter discussa, corruere; immo, nimium sui propositi tenax, *Præjudicia* appellat, ut hisce argumentis ignominioso vocabulo omnem auferat dignitatem. Sinite, Amici, ut diligenter expendam, quanti habenda sit invidiosa isthæc Gothofredi assertio. Tunc ego:

(1) *Cum iste prorsus oppositam foveat sententiam,*) In Commentario ad Lib. I. Definitionum Æmilii Papiniani, super L. 1. D. de Legibus, ubi hæc scribit. *Proponuntur igitur his libris Regulæ Juris veteris, nec tamen mortui, non Juris novi: Nam & ita Titulus ultimus Digestorum est, DE DIVERSIS REGULIS JURIS ANTIQUI, non novioris, quod non dum extabat, nondum exierat: & ponitur ille Titulus in calce Digestorum; quod servandum, ut DEFINITIONES Papiniani post QUÆSTIONES, & RESPONSA ultimo loco: quia Regulæ Juris sunt Juris* Colophones, *ut Epicurus quoque Canones suos vocabat* Colophones, *auctore Laertio; ut non plane sit statim a primo Studioso Juris præpostere danda opera Regulis, quæ etiam desiderant eruditissimum interpretem.*

ego : Prævenis , Nauti , desiderium nostrum : si sponte hanc nobis operam non exhibuisses; precibus,etiam importunis ; ut solemus, te ad hanc disputationem adigeremus; ut suus Cujacio rediret honos , suus veritati locus vendicaretur. Attendite, inquit Nautius : jam id aggredior. Quatuor Gothofredus suorum adversariorum argumenta, quibus, ut mox dixi , molestum *Præjudiciorum* nomen indit, proponit; totidemque conatur refellere , ut victoriam canat . Recito ejus verba, ni fallat memoria : *Quidquid contra alii sentiant, qui definiunt, a recta docendi ratione aberrare , qui junioribus hasce Regulas una cum Institutionibus obtrudunt ; quatuor ferme tum argumentis , tum PRÆJUDICIIS* . I *Quod postremum hic Titulus in calce Digestorum locum obtineat* . II *Quod Justinianus diserte hunc Titulum post impleta demum studii legitimi curricula legi voluerit* . III *Quod Plautius JCtus hac prima Regula præmoneat , Regulam fieri oportere ex Jure : unde colligunt, in docendo quoque, & in discendo Regulis postremum dari locum oportere : quandoquidem earum cognitio vel intellectus nonnisi ex anticipata Juris cognitione haberi & percipi possit. Novissime , quod Regulæ , ut accuratum Interpretem , ita & solertes præparatosque & præmunitos aliunde Studiosorum animos , anticipatamque quamdam universi Juris notitiam desiderent*. His omnibus tentat omni cura Gothofredus occurrere : objecta fastu quodam contemnit : responsis , quasi ex tripode mutuatis, credit adversarios vincere. *Primo quidem*, scribit , *si præjudiciis res geritur , sane in græcis Basilicis primo ferme omnium loco hic Titulus positus est ; haud alia ratione, quam qua is in Pandectis ultimum locum occupat ; eo, quod ad universum Jus , quod Pandectis comprehensum est , spectet ; inque eo , tamquam exigua tabula universi Juris instar quoddam & coronis contineatur , seu rudis quædam Juris præceptorum generalium notitia* . O quam bella sane disputatio! Ex situ ac positione hujus Tituli litem dirimere , constitutis quæstionis arbitris genio & inclinatione eorum, qui libros Juris in ordinem redigerunt . Cæterum, æquiorem cuperem Gothofredum erga

Justi-

Justiniani libros, quam Basilicorum. 1 Justinianus concinnando Juri serio studuit; & procul ab inani ostentatione, summo illustrium virorum conatu, Legum facultati primus consuluit. 2 Basilicorum conditores, novandi pruritu, & alienæ minuendæ gloriæ cupidine, Jus non tam meliori aspectu extulerunt, quam mutata facie turbarunt. Quis igitur sagaciori potius Justiniani proposito, quam effrenatæ posteriorum Imperatorum libidini non adhæreat? Ad hæc Numicius: Quid, nimio plus, Nauti, in levibus hisce nugis immoraris. Qua parte Titulus locetur, præcedat,

[1] *Justinianus concinnando Juri serio studuit*) Magnum opus suscepisse Justinianum, multi contendunt: *nam*, ut inter alios scribit Jan. Vincentius Gravina, *cum antea veteres Leges, & Edicta Pratorum, & Jurisconsultorum libri omnes versarentur in manibus*; *Justiniani tempore, ne juventus tanta librorum strue, ac lectionis varietate opprimeretur, abscissa rejectaque sunt obsoleta jura; totumque Jus Civile compositum, selectis ex Jurisconsultorum libris, quæ tum essent in usu; quo in posterum jus brevius esset & expeditius.*

[2] *Basilicorum conditores, novandi pruritu, &c.*] sub Basilii Macedonis imperio, ut Justiniani nomen deprimeretur, & suum hic Princeps attolleret, exclusa prorsus latina Juris editione; novum corpus e græcis Digestorum, Codicis, & Novellarum versionibus, antea factis per Thalelæum, & Theophilum; idem brevius & contractius effinxit; conclusitque libris quadraginta, quos ad sexaginta protraxit Leo ejus filius, & iis nomen indidit Βασιλικῶν. Subditorum inde obsequio potius, quam præstantia operis, vetus Justiniani corpus auctoritatem amisit, novum hoc acquisivit. Plures inde, (ut fit sub exemplo primorum conaminum) collectiones & epitomæ prodiere, partim ipsorum Imperatorum jussu, partim privato consilio ac labore; ita sane, ut ambitio, non necessitas, tot nocuas potius, quam utiles invexerit in Jure conversiones.

cedat, ſubſequatur, medius inter alios ſit, non curo: miſera hæc ac puerilis eſt obſervatio: ratione vincor, non inconſiderata potius rerum poſitione; illa potior mihi, iſta fallax omnino creditur. In tuam ſententiam pedibus eo, non alia de cauſſa, quam quod nihil crudis ingeniis eſſe proponendum exiſtimo, quod intelligi ſtatim non poſſit. Pleraque ſunt, quæ non tam peculiari quadam Præceptoris induſtria, quam diuturni temporis lima indigent; ut illud, quod ab aſſidua meditandi conſuetudine venit, & alia comparari via prorſus nequit, ſubactum nempe judicium, ſanam afferat doctrinam, tricis ac cavillationibus ſpoliatam. Quamobrem terat juventus in ipſo auſpicato ſtudiorum limine Inſtitutiones, prima ſcilicet Juris Elementa; ubi notiones nudæ, & in ipſo veſtibulo conſpicuæ ac nitentes: in exitu, legali jam doctrina dives, præ manibus habeat Regulas, collectas nempe ex toto Jure Definitiones; in quibus notiones compoſitæ, invicem colligatæ, aliæ ab aliis conſequentes, & ab ſuo fonte longius repetitæ. Hujus ſane conſilii non pœnitebit: utrumque facili negotio intelliget; illas nempe ſimplicitate, quæ candidatos non deterret; iſtas acquiſita jam ſupellectile, quam anterior miniſtrat exercitatio. Et, ſi mihi aliquid de ſede in Pandectis unicuique Titulo diſtributa, liceret diſſerere; atque illuc redire, unde tamquam e tenui argumento, te, Nauti, revocatum volui; illud præſenti animo dicere non dubitarem, duos Titulos, qui poſtremam Digeſtorum partem claudunt, *de Verborum Significatione* alterum, alterum *de Regulis Juris*, diverſa ſorte donarem; & ab eorum ſocietate disjungerem. In ipſa Pandectarum fronte, ſeu potius ante, ſeu poſt Inſtitutiones, Titulo *de Verborum Significatione* locum concederem: Titulo *de Regulis Juris* noviſſimum, quem occupat, ſitum nullo pacto turbarem: naturam imitatus, quæ primum infantibus curioſitatem ingerit, ut vocum intelligentiam adipiſcantur; inde adultis animum excitat, ut de rudibus jam perceptis cognitionibus paullo attentius judicent; demum lumen infundit, ut rerum nexus videant, conſequentia dedu-

 cant,

cant, vera adoptent, falsa repudient; & procul a vanis præstigiis mentem tuto gubernent. Quid tibi videtur, Nauti? Remne acu tango, an inconsulto vagor per inania? Recte & acute, ut soles, inquit Nautius; & iterum ad suum redit institutum, atque ita fatur: Alterum argumentum paucis diluit Gothofredus, non adeo contemnendum, ut plura non desideraret: *Docendi*, sic ille, *discendique Juris ordinem*, *a Justiniano olim præscriptum*, *nemo hodie recte tuetur*. Bona verba, quæso. Nemo igitur hodie ordinem hunc recte tuetur? Quibus id doceat exemplis, non video. Si assertionibus pugnandum, fides Gothofredo præstetur; submisso vultu tacebimus. Si vero, ut id probetur, necesse est; ostendat, cuinam ordo hic displiceat; quid ex eo damni capimus; qui melior excogitetur ac proponatur. Dicet, quod multum desuetudine sit læsus. Apud multos, fateor; apud omnes, nego: neque adeo imperiosum est desuetudinis argumentum, ut evincat, ea, quæ a Majoribus tradita sunt, ideo mala existimari, quia sint a posteris derelicta. Derelinquuntur plurima, non ipsius rei vitio, sed genii impatientia, quæ novis delectatur, vetera fastidit. Verum enim vero sanioris palati homines studiorum ordinem a Justiniano statutum, non tam religione & obsequio in auctorem, quam 1 maximo utilitatis experimento, intactum

1 *Maximo utilitatis experimento*,) Si alia deessent argumenta, illud præcipuum esset, quod tam longo temporis curriculo, juxta formam a Justiniano præfinitam, quatuor Constantinopoli, totidemque Berythi Interpretes, Jus explicabant. *Unus* Institutiones, & πρῶτα, idest, primam Pandectarum partem usque ad librum de Judiciis. *Alter* alternis annis vel secundam, vel tertiam, idest, aut a libro de Judiciis, aut de Rebus creditis usque ad finem ejus partis. *Tertius* decem libros quartæ & quintæ partis usque ad librum de Bonorum Possessionibus. *Quartus* Codicem exponebat. His adjumen-

ctum servant, & fuse commendant. Arridet sane opportuna illa divisio, qua utitur Legislator. Jubet, ex Pandectarum libris alios voce præceptoris addisci, alios tacita ac domestica juvenum cura perpendi: ut animus non semper, instar mancipii, auditui inserviat; sed liber aliquando, & sui juris redditus, longe lateque spatietur. Inter libros privatæ industriæ repositos, Pandectarum novissimus est, qui pro coronide Titulum habet de *Regulis*. Nec inconsulto id factum; nam, qui post excepta a præceptoribus lumina, post adhibitam intra suos lares diligentiam, Titulum hunc, quasi totius Juris epitomen, & quoddam memoriæ subsidium, ex seipso non percipiat, fungus est ac auritus asinus. Videtis igitur, Amici, quantum opinioni suæ indulgeat Gothofredus; ut isthæc nimis sicco pede pertranseat; & alios ea stupiditate obsitos credat, ut omnia inconsiderate prætereant, nulloque examine dijudicent. Tunc Numicius: A primis hisce duabus difficultatibus non sat feliciter sese extricat Gothofredus. Si aliis duabus, quæ supersunt, fors eadem contingat; caussa sua cadet omnino, & quo se vertat, habebit profecto nihil. Ita est, Numici, respondet Nautius: & quomodo sese gerat in diluendo, quod ei tertio loco objicitur, accipite. Non negat Gothofredus, 1 juxta Plautii sententiam, ex

N 2 Jure

mentis Juventus instructa, suo postea marte reliquos, quos a voce præceptoris non exceperat, Digestorum Titulos, inter quos aderat, qui *Regulas Juris* continet, degustabat, & non inopi ac jejuna mente perpendebat.

1 *Juxta Plautii sententiam*) De hujus JCti *Plautii* vita nihil constare Forsterus scripsit; fit tamen mentio *Plautii Silvani* in Fastis, qui Consul fuit tertio anno Imperii Antonini Pii, cum Julio Severo. Ita Jo: Bertrandus in Vita Jurisconsultorum. Sed Bertrandus a Gulielmo Grotio impugnatur, eo, quia confundit *Plautium Silvanum*, Consulem circa D. Pii tempora, cum

Jure constituto Regulas fieri : sed *aliam esse*, autumat, *Artium primum conficiendarum*, *aliam vero postea tradendarum rationem*. Quamobrem, ut recte in animos discentium illabatur doctrina, a *Generalioribus* inchoandum esse opinatur & statuit. Sed ego, ut verum fatear, nescio, quid discriminis sit inter conficiendas ac tradendas Artes: conficiuntur enim ea ratione, qua commode tradi possunt: alterum pendet ab altero, & mutuo fœdere conjunguntur. Quod attinet ad *Generaliora*, quæ in ipsis studiorum incunabulis desiderat Gothofredus; quædam lubens concedo, quædam prorsus nego. Ea, quæ nihil ad mentem illustrandam in antecessum sibi postulant; quæ primo intuitu innotescunt; quæ facem præferunt iis, quæ sequuntur; admittantur, ut lubet, immo ut necesse est, in hujus acquirendæ Facultatis exordio: hæc quidem mentes adhuc teneræ ac pauperes, sermonis melle, & ad demulcendum atque nutriendum apto, a magistris accipiant. Alia vero *Generaliora*, quæ ex præcognitis descendunt; quæ variis caussis complicantur; quæ prægnantes continent sensus, ab animis, qui blande lactari cupiunt & debent, non solido ac gravi cibo onerari, procul in ipso ingressu arceantur; & ad firmandas vires,

cum *Plautio* JCto, qui floruit sub Vespasiano, ut variis collatis locis probat. Cæterum Pomponius in L. 2. D. De Origine Juris, immerito hunc *Plautium* silentio præterit; cum nimium is celebris fuerit, & tantæ auctoritatis, ut in ejus opiniones omnes Jurisperitos, utriusque scilicet sectæ, tam Proculejanos, quam Cassianos consentire, Ulpianus testetur in L. 1. §. Interdum 3. D. de Usufr. accresc. Hic itaque *Plautius*, ut refert Paullus in L. 1. h. t. scripsit, *Non ex Regula Jus sumi*, *sed ex Jure*, *quod est*, *Regulam fieri*. Ex Jure nempe *recepto*, *& per singulas species observato*, ut notat Petrus Faber; vel *definito*, ut explicat Jac. Gothofredus. Quomodo igitur juvenes *Regulam* noscent; ubi *Jus receptum*, *observatum*, *definitum*, ex quo illa oritur, nesciant?

vires, meliori ævo, spe & profectu meliori, serventur. *Quod adeo verum est*, 1 opportune monet Quintilianus, *ut ipsius etiam magistri, si tamen ambitiosis utilia præferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere: nam, ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt; sensim autem influentibus, vel etiam instillatis, complentur; sic animi puerorum quantum excipere possunt, videndum est: nam majora intellectu, velut parum apertos ad percipiendum, animos non subibunt*. Est sua etiam studiis infantia, non statim rebus arduis deterrenda, sed educanda blanditiis; ut molliter incedat, non præceps currat; desideret potius, quæ ipsi desunt, quam nauseet, quæ ipsam obruant: ea, quæ facile immittuntur, accipiat, retineat, colat: quæ vero proclivem aditum non reperiunt, per vim non admittat, ne cum fastidio excludat. Et sane, eo sub tempore, quo Jus, ita, uti est, & vastum sine limite, & tanta argumentorum supellectile varium, redditur incognitum; quonam pacto, quo fortunæ beneficio, ne dicam, miraculo, Regula, quæ ex hoc Jure provenit, clarior nobis evadet? Quis effectum probe noscit, quem in origine caussæ prorsus latent? Quis medicamina aut imprudens probat, aut iis periculose utitur, si, quibus ea componantur, plene certior non fiat? Sumamus, si per vos licet, Amici, ex his Regulis aliquam, non jam e tenebricosis involutisque, quorum numerus sane non est exiguus; sed reliquarum omnium longe facillimam. Expendamus parumper, cujusnam indolis sit, an juvenili palato digna, & jejuno ac debili stomacho digerenda. 2 Illam igitur eligo, quæ his verbis concepta est: *Fœminæ ab omni-*

N 3

1 *Opportune monet Quintilianus*) Lib. I cap. 2. Institutionum Oratoriarum.

2 *Illam igitur eligo*) Quæ est Lex secunda hoc Titulo, ex Ulpiano libro primo ad Sabinum.

mnibus Officiis Civilibus, vel Publicis remotæ sunt: & ideo nec Judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec Postulare, nec pro alio Intervenire, nec Procuratores existere. Hæc objecta juvenum oculis Regula, quamvis nullo sermonis ambitu contorta, nullo obscurarum rerum nexu implicata, nullo repositi Juris mysterio circumdata, intellectui planior sese offerat, nec multis curis animum sollicitet, voluat, ac contorqueat; hæc tamen ipsa Regula sine delectu & examine accepta, inermem reddit spiritum ad ea superanda, quæ forsan objicientur. Siquis quærat, cur tanta fœminis illata sit injuria; quid proferat, nescit: cum ipsi sapientissimi Interpretes non inter se bene conveniant. Hoc alii tribuunt 1 muliebri inconstantiæ, quæ facile in pejus mutat consilium. Alii 2 mentis imbecillitati, quæ rerum intima non videt. Quidam 3 rei familiaris periculo, quod imprudenter fatua credulitas invenit. Nonnulli 4 sexus honestati & verecundiæ, quæ eas a frequenti virorum consortio divellit. Contendentium singuli, & Leges, quæ diversam sententiam sustinent, & Scriptorum testimonia, quæ confirmant, pro sua quisque parte afferunt: quorum inops candidatus, Regulæ superficiem gustat, interiora, tamquam hospes, non cogno-

1 *Muliebri inconstantiæ*) Qua de caussa Josephus lib. IV Antiq. cap. 5. putat, lege Mosaica mulierum testimonium non fuisse receptum: quod & Plato sanxit lib. 1. de Legibus, cap. 11. nisi quæ esset XL annorum.

2 *Mentis imbecillitati*) Hanc infirmitatem & conditionem fragilitatis multi vocant. Ita loqui amat Arnobius lib. VII quam alioquin rationem Decius, aliique hic vulgo reddunt.

3 *Rei familiaris periculo*) Ut Imp. Constantinus Mag. L. 1. Cod. Th. de Raptu Virg. asserere videtur.

4 *Sexus honestati & verecundiæ*] Ea quippe facit, ut non omnia, quæ a viris agi possunt, a fœminis agantur; & ob id cum istis nulla comitiorum communio fuit, uti scribit Gellius lib. V c. 19.

gnoſcit. Quid dicam de ipſo *Officiorum* vocabulo? Uno ſenſu non accipitur: varia gaudet ſignificatione. Illud plene intelligere, niſi Legum auxilio, quarum fontes juventuti non adhuc patent, non licet. *Officium* enim, 1 nunc *Donum* denotat, quod natali die, aut in nuptiali lætitia, largitur: 2 nunc *Onus*, quod Tutelæ aut Curæ exercitio ſuſtinetur: 3 nunc *Munus* Judicandi, ſeu Legationis; quod ad Reipublicæ ſtatum pertinet: 4 nunc demum *Negotium*, quod in civili hominum commercio verſatur. Seligenda ex his, quæ in rem præſentem cadat, ſignificatio: non hæc parum eruditæ, ſed conſummatæ mentis induſtria eſt, a viris multa doctrina imbutis, non curta literatura tinctis ſperanda. Hæc inſuper Regula *Officia*, a quibus Fœminæ removentur, alia *Civilia* facit, alia *Publica*; adhibita particula VEL, quæ ſeparat ac diſtinguit. En novum inter Scriptores prælium. Sunt, qui acerrime tuentur, 5 utrumque vocabulum pro eodem ac-

1 *Nunc DONUM denotat, quod natali die aut nuptiali lætitia largitur*) L. Munus tribus. L. Inter donum D. de Verb. ſignif.

2 *Nunc ONUS, quod Tutelæ aut Curæ exercitio ſuſtinetur*) L. Inter, ſuperius laudata, D. de Verb. ſignif.

3 *Nunc MUNUS Judicandi, ſeu Legationis*) L. 7. L. 10. in prin. & §. 1. L. 11. §. 1. D. de Leg. & L. Quid enim D. de Judic.

4 *Nunc demum NEGOTIUM, quod in Civili hominum commercio verſatur*] In hunc ſenſum accipit Petrus Faber, ex auctoritate Arnobii lib. VII Diſp. adv. Gent. & Suetonii in Tiberio cap. 50.

5 *Utrumque vocabulum pro eodem accipi debere*] Ita Petrus Faber. *Græcus Interpres lib.* 1. *Epit. tit.* 13. *Civile officium eſſe judicare; Publicum autē poſtulare, & ſimilia, quæ hic enumerantur, putat: ſic enim ait*: πολιτικὸν δέ ἐστιν ὀφφίκιον τὸ δικάζειν, δημόσιον δὲ τὸ συνηγορεῖν, καὶ τὰ ὅμοια οἷς ἐν τῷ παρόντι ἀπαριθμεῖται νόμῳ. Ego *puto Civilia non ſeparanda eſſe a Publicis. Perindeque verba hæc in iſto loco in-*

cipi debere; nec ullum pro firmando discrimine ex particula VEL scrupulum injici; cum ea duplici inserviat usui; & partes invicem diversas aliquando disjungat, & similes complectatur non raro. 1 Alii adversantur: & Publica a Civilibus Officiis discriminant; nec simul miscenda, viriliter contendunt; atque argumentis probant non equidem futilibus. Porro ait Lex: *Et ideo nec Judices esse*

terpretari nos debere, atque, si Jurisconsultus dixisset, CIVILIBUS, SIVE PUBLICIS. Similiter Arcadius JCtus, post traditam hujusmodi triplicem Civilium munerum divisionē, ut quædam personalia sint, quædam patrimoniorum, alia mixta; addit postea sub finem ejus Legis hæc verba L. ult. in prin. D. de Mun. & Honor. HÆC OMNIA MUNERA, QUÆ TRIFARIAM DIVISIMUS, UNA SIGNIFICATIONE COMPREHENDUNTUR: NAM PERSONALIA, ET PATRIMONIALIA, ET MIXTA, MUNERA CIVILIA SEU PUBLICA APPELLANTUR. Ante Petrum Fabrum eadem Cujacio opinio insedit.

1 *Alii adversantur*) Inter quos Jac. Gothofredus, qui putat *Publica* Officia item esse *Civilia*; non e converso, *Civilia* esse *Publica*. Et Decius existimat, particulam VEL positam esse inter hæc duo vocabula, tamquam inter *genus* & *speciem*. Porro idemet Gothofredus discrimen inter utrumque vocabulum ita exponit. *Publica Officia* sunt, quæ in rerum actu, vel in Republicæ tractatione, ut loquitur Seneca 1. de Tranquillitate cap. 3. seu πόλεως διοικήσει, ut Plato hac in re, lib. V de Repub. consistunt, *Civilia* vero *Officia* sunt ea quoque ministeria, ii actus, qui partim in Civitatis, vel Judiciorum conspectu, ἐν ἐκκλησίᾳ ut Græci loquuntur, in Comitiis exercentur; partim privatim in aliquo virorum cōgressu, modumque excedunt domesticæ curæ, cujus finibus muliebre ministerium coarctatur, juxta illud Naumachii, σοὶ δὲ (fœminæ) οἰκωφέλεια μελέτω μίγχρόντε φυλάττειν & arg. aliquo L. 1. C. de Offic. divers. Judic.

esse possunt , *nec Magistratum gerere* . Locus hic dissensu Interpretum quam maxime laceratur . Pars *Pedaneos Judices* accipit : 1 pars eos , qui Tribunali præsunt, & Jurisdictione pollent . Nec prorsus sine consilio ; ut distinguantur a Magistratibus , qui huic orationi proxime subnectuntur , quique non ipsi judicant, sed Judices delegant . Subsequuntur in hac Regula verba illa: 2 *Nec Postulare*. Non semper hæc militat prohibitio : corruit aliquando: 3 mulier enim bonorum possessionem petere

1 *Pars eos* , *qui Tribunali præsunt* , *& jurisdictione pollent*] Petrus Faber scribit; *Male etiam Placentinus* , *sive Martinus* , *vel quisquis ille est hujus Tituli* κατάφρασις, *INTERPRES* , *Judices hic accipit pro Judicibus ordinariis* , *qui Tribunali præsunt* , *& Majores Judices appellantur*, *L.Non distinguemus*, §. *de Liberali D. de Recept. arb. Quamquam enim non ignoro* , *sæpe Magistratus tam urbanos*, *quam provinciales nominari Judices*, *L.Si cum dotem*, §.*Eo autem* , *vers.Ideoque D. Solut. matr. L.Quippe judicare D. de Judic.&c.Tamen frequentius ea vox in libris nostris Pedaneos* , *Datos* , *Delegatos Judices* χαμαιδικαστάς , *qui privati* , *nec in honore ullo sunt*, *significat*.

2 *Nec Postulare*] Postulare est suum, vel amici sui desiderium , ei , qui Jurisdictioni præest, & apud ejus Tribunal , vel apud Judices pedaneos exponere , vel alterius desiderio contradicere ; ac denique caussis agendis quoquo studio , ut ait Ulpianus L. 1. §. Advocatos, D. de Extraor. cogn. Hoc officium virile est , & ideo fœminis interdictum ; sed non indiscriminatim,ut mox dicetur .

3 *Mulier enim bonorum possessionem petere pro alio apud Prætorem poterat*] Ex L.Servus 7. D. de Bon. poss. & L. pen. eod. tit. quia scilicet & servus id potuit ; quandoquidem bonorum possessio nullis solennibus, nullo publico conventu ; verum de plano expediri poterat ; & nullam Judicis aditionem desiderabat, L.ult. C.Qui admitt. ad bon poss. l.32.

tere pro alio apud Prætorem poterat. Additur: *Nec pro alio Intervenire*; *nec Procuratores existere*. Hæc duo membra, nonnullorum sententia, sensum fovent eumdem; 1 & utroque illa indicatur opera, quæ in alterius opem absentiamve ab altero præstatur. Non desunt, qui abnormem horum membrorum conjunctionem rideant damnentque; & *Pro alio Intervenire* Intercessionis ministerium intelligant: *Procuratores* autem *existere*, forense agendi munus explicent. Rectius, ut puto: secus inutilis luxuriaret verborum seges, & superflua admitteret ingenuus distinctæ ac separatæ locutionis pudor. Illud præterea non firmiter constat, *Procuratoris officium prorsus Fœminis negari*: 2 pro parentibus enim agere, caussa cognita, permittitur; 3 præsertim matri pro dote, quam filiæ dede-

L. 32. §. 2. D. de Acquir. poss.

1 *Et utroque illa indicatur opera, &c.*] Petrus Faber *Pro alio intervenire*, *Primum explicat*, *Pro alio se obligare & intercedere*: quod a græco Interprete tit. 6. lib. III Epit. ἐντυγχάνειν, *Intercedere* dicitur. Postea vero existimat, *Interveniendi* verbum pertinere hoc loco non ad *Intercessionem* quamlibet (etiamsi omnis intercessio fœminis prohibita sit) sed ad eam operam, quæ in Judicio litigatoribus præbetur; etiam sine mandato, ut distinguatur ab eo, quod de *Procuratione* statim subjicitur. Hoc tamen perperam a Fabro conjicitur: nam si Procuratrix *cum mandato* mulier esse nequit, inutile prorsus erat, vocem *Intercedere* adhibere, ut Procuratio *sine mandato* intelligeretur: cum id multo magis interdictum fuerit infirmo sexui, qui hanc voluntariam & forte periculosam operam præstare minime poterat.

2 *Pro Parentibus enim &c.*] Paullus lib. IX ad Edict. in L. 41. D. de Procuratoribus. *Fœminis pro parentibus agere interdum permittitur, caussa cognita: si forte parentes morbus aut ætas impediat; nec quemquam, qui agat, habeant.*

3 *Præsertim mater pro dote &c.*) L. 10. §. Cui, D.

dederit. Tot igitur tantæque in Regula omnium facillima quæstiones suboriuntur? Quid, si aliquam ex illis exponerem, quæ, ipsius Gothofredi judicio, densissima teguntur nube, & sublimia Jurisconsultorum turbant ingenia? Dum hæc Nautius dissereret, sic Pinarius: Docte quidem, sodalis humanissime, qui vivis coloribus rem ante oculos ponis. Perge nunc ad novissimum argumentum, quod infirmare studet Gothofredus. Video, jam cadere altis de montibus umbras, & noctem proxime impendere. Sed huic cedimus incommodo, & tardiuscule domum repetere placet; dummodo tota expleatur, quæ incepta est, disputatio. Id exequar, inquit Nautius; & non longe excurram. Pauca affert Gothofredus: paucis me absolvam. *Etsi*, scribit ille, *plenum adolescens statim Regularum intellectum non assequatur; attamen memoriæ semel infixæ, seu apud memoriam depositæ, ut Quintilianus diceret, veluti scintillæ quædam Juris seminaque adhærent; inventionique ac judicio deserviunt; seseque offerunt subeuntque ætate studioque; &, quasi eodem cibo remanso, penitiorem facile sensum earum postea assequi datur*. Non cohærent ista, quæ recenset Gothofredus. Fatetur, plenum intellectum adolescentes non assequi: Audacter postea confidit, semina isthæc optimos inde fructus productura. Concederem, si recta juvenes, non sinistra mente acciperent, quæ primo sub aspectu turbide offeruntur, & ipsi caligantibus oculis intuentur. Vereor, ne præjudiciis onerati sint, quibus deponendis summa difficultas: & non abs re illum eumdem Quintilianum, quem pro se laudat Gothofredus, adversus eum oppono. *Natura*, en ejus verba, *tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est*,

cui

D. Mandati. *Et ideo Papinianus libro eodem scribit, Si mater pro filia dotem dederit; eaque, mandante filia, vel illico stipulata sit, vel etiam postea; mandati eam teneri, quamvis ipsa sit, quæ dotem dederit.*

elui possunt : & hæc ipsa magis pertinaciter hærent , quæ deteriora sunt : nam bona facile mutantur in pejus ; nunc quando in bonum verteris vitia ? Quamobrem ex illis corruptis seminibus, quæ memorat Gothofredus, fructus parum sani provenient: marcescent , utpote acerbiores decerpti : numquam fient maturitatis compotes, vix inde ab arido succo sperandæ . Neque cibus remansus , ut ipsemet loqui amat, semper sapit ac nutrit ; sed plerumque effœtus ac vapidus aut lædit , aut saltem nauseat . Præterquam quod, ut aliquid de meo proferam, valde absonum existimo , illud præmaturo tempore ab juventa exigere , quod sinuosa quædam & implexa doctrina non patitur . Ingenium sæpissime in adolescentibus invenimus & admiramur ; unde generosi quidam elucent conatus , indoles fræni impatiens , & spiritus plus justo concipiens . Sed hac sola dote disciplinæ non comparantur, quæ ex institutis hominum pendent, & ex opima rerum & caussarum cognitione proficiscuntur . Longa in his præcedat exercitatio, opus est, diligens examen, subactum judicium, quod multi decoquunt anni , nitens ratio limat , non intermissa perficit patientia . Incredibile est enim quantum moræ & periculi afferat improvida festinatio discendi ea , quæ parum bene intellecta coguntur fere omnes in progressu dediscere ; aut confuse cognita, non sine difficultate & tædio, emendare . Dii faxint, ne aut spernant tamquam obscura , aut dedignentur tamquam injucunda : semper tamen desperant, & dolent; & iterum ad ea , cum tempus finit, & necessitas postulat , accedere , præconcepto jam sive contemtu, sive timore, sive odio , recusant . Belle quidem & opportune Fabius , Scriptor Gothofredo non insuavis : *Id imprimis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest , oderit ; & amaritudinem , semel præceptam, etiam ultra rudes annos , reformidet* . Jam in hæc verba sapientissimo ornatissimoque sermoni finem Nautius fecit : Ejus favendum opinioni , ad veritatem propius, utilitatemque accedenti , omnes uno sensu ac voce conclusimus . Inde, inclinato ad oc-

ciduas

ciduas oras Sole , impetrataque , mutuis prius præſtitis officiis, venia a Flavio & Anicio , diſceſſimus ; & domum revertimur : ubi, inter cœnandum, de noſtro ad patrios lares receptu, incidit ſermo ; cumque triduo poſt inter nos ſtatutum ſignificamus . Vitellius , mihi , inquit , animus non ſuppetit , longiorem moram a vobis expetere . Satis pro veſtra humanitate , quamvis parum pro meo deſiderio, precibus meis indulſiſtis . Video, a veſtris curis ad urbem principem evocari . Curia jam ab illa quiete , quam ex majorum inſtituto hiſce Autumnalibus diebus largita eſt, ad Fori ſtrepitum , hinc impatientes clientum ſolicitudines, illinc fervidos cauſidicorum labores invitat . Sed, ne deſit interea aliud , quod adhuc eſt intactum , ſolatii genus , quodque hujus loci videtur proprium , & immerito dilatum ; cras ducam vos ad litus, ut piſcatui , qui ſuis non caret deliciis, vacemus . Nos, propoſita re gratiſſima , aſſentimur; & quam citius lectum petimus , ut anticipato ſomni beneficio , moleſtum foret minus in craſtinum , antelucanis horis maturius expergiſci .

Albeſcente die , anxie expectato , pergimus ad mare. Magna piſcatorum ibi fremit turba , operi diſpoſita , ut in anteceſſum cavit Vitellii diligentia . Eja , diximus , ſollertiſſimi juvenes, fauſto omine , in munus veſtrum incumbite : parata vobis ſunt præmia : ut iis digni ſitis, peculiaris veſtra efficiat induſtria. Noſcimus, in hoc nimis incerto miniſterio fortunæ potius , quæ ex genio ludit , quam cuivis ſtudio, inutili ſæpius reddito , felicem exitum tribui : ſed neſcio quid futuri compendii præſcia mens noſtra ſibi tuto ſpondet , & a veſtris auſpicatis laboribus non inaniter ſperat . Incipite : ſpectatores adſumus : ſors, noſtris non inimica votis, dabit, ut mox pingui nos præda fruamur , vos mercede non tenui gaudeatis . Cuncti dictis noſtris parent . Senex canitie gravis dandis invigilat mandatis , fervidus operis dux & præſes . Plurimi , integra ætate firmi ac robuſti, & facie aduſta , virium indice, ad frigoris & æſtus patientiam enutriti ac obdurati, pedibus nudis ac brachiis,

curas

curas inter se partiuntur ; nec interea jocis parcunt , quibus fastidium temperent ; sed a sene , rigido nimis ac serio juvenilis industriæ censore , de nimia hac importunaque lætitia objurgantur . Pueri etiam hac illac excurrunt , semilacera subucula artus , & lurido ac corroso panno male consuto caput tecti , qui tenue , quod præ infirmis viribus possunt , media in turba , auxilium præstant ; spiritu tamen ac gratia supra annorum indolem , & nostro non sine magno solatio . Piscatorum igitur pars festivo saltu phaselum conscendit : pars fluctus ingreditur , & manibus navim ab arena in mare propellit : pars retia expandit , & in undas projicit : reliqui litus tenent ; retibusque colligatos funes , & cursui navis obsequentes , regunt ; ut faciles ac distincti super aquis, levi subere passim adjuti , enatent , nec secum una implicentur . Jam impigro remige pervolat phaselus ; & quousque alternæ navigantium , & litori adhærentium voces audiri poterant , ingens clamor : ubi distantia id prohibuit , altum silentium . Tunc , a nescio quo petimus , brevi ne an tarde navis esset reditura : monemur, non nisi post horam . Displicuit , tamdiu illic otiosos morari . Consilium cepimus tantisper deambulandi , ad expectandam famem in futurum prandium ; & lento gradu incedimus , quousque ad quamdam rupem perducti , juvenem conspeximus , humi jacentem , summaque abreptum mæstitia , qui de acerbo fato suo inter lacrimas ac suspiria cum sene sui amantissimo inconsolabilis querebatur . Horum colloquia suspensis auribus excepit , & hac Ecloga nitide ac eleganter expressit Pinarius .

ALE-

ALEXIS, LYCIDAS

Dum, primo surgente die, mons, litus, & unda,
Luce nova ornatæ, & placidis spirantibus auris,
Undique ridebant; molli projectus arena,
Incomitatus, iners, suspirans, pallidus, æger,
Pene sui oblitus, Lycidas sub rupe jacebat.
Tunc, e Parthenope rediens, properabat Alexis
Ad Capreas, is, qui non paucis ante diebus
Absuerat; litusque petens, licet obsitus annis,
Sed valido constans animo, patiensque laboris,
Solus composuit remos, & vela coegit.
Dein, casu, vertens oculos; mærore refertum
Conspexit Lycidam, sine vi, sine voce, sine ullo
Mentis consilio. Valde miratur, & inquit:
Ecquid id est, Lycida? Lacrimæ, suspiria, pallor,
Longe quæ fuerant a te, cur impete facto,
E vultu pacem, pacem de pectore tollunt?
Cur te alium a te ipso aspicio, qui nuper in acta
Unus eras carus cunctis, & amabilis unus?
Lyc. *Care senex, tu recte alium me credis; & ipse*
Esse alium memet video, nec vivere nosco;
Nec me nosco mori. Mea vita simillima morti est;
Et mors, ut vita caream, properare retardat.
Ah! Superi, cur hoc donum tam vile negatis;
Ut, quos vita gravat, mors opportuna revellat?
Dulce mori est miseris: una finire labores
Morte juvat: vita incolumi, majora supersunt,
Quæ vix ferre queunt nostræ fastidia vires.
Alex. *Dic, oro, dilecte comes; dic, unde doloris*
Fons manet; dic, quæ tanto te vulneret ictu
Effera sors; quæ sit gravis hæc mæroris origo.
Si ferre auxilium potero, dabo. Præstat, amicos
Solari; ærumnasque omni depellere cura.

Lyci.

Lyc. *Scis Clorin [nomen quondam mihi dulce; molestum*
Nunc mihi] scis, inquam, Clorin; mihi quam sacer Hymen
Conjunxit; quam plus, quam memet, semper amavi;
A qua nostra salus, spes nostra, & nostra voluptas
Unice erat speranda mihi; jam morte peremta,
Ah fera mors! nova regna petit, nova litora lustrat;
Meque infelicem super hac tellure reliquit.
Hic fons est, hæc caussa mali, quam quæris, Alexi:
Hæc animam torquet; sine somno ducere noctes;
Et sine luce dies, sine pace excurrere cogit.

Alex. *Quid, Lycida, quid triste refers! Quo fulmine tacta,*
Occidit illa, annis florens, pulcherrima visu,
Promta foris, operosa domi, dulcedine morum,
Atque omni, quodcumque ageret, dotata lepore?
Quam facile, heu miseros! sortem mutamus; iniqua
Opprimimur, postquam breviter possedimus æquam.
Ergo illa extincta est? Nec vos cava litora, ventis
Percita, nec fractæ vos tempestatibus undæ,
Nec vos avulsi scopuli e radicibus imis,
Panditis hic luctum, & casum ploratis amarum?

Lyc. *Linque undas, linque & scopulos, & litora linque.*
Qui luctum pandat, casum qui ploret, Alexi,
Unus ego sum, & semper ero. Quodcumque subinde
Vivendi spatium dabitur, crudescet in alto
Pectore, quod patior, vulnus; sanabile vulnus
Nulla prorsus ope, & nullo medicaminis usu.
Antiquæ sordent artes: nec cymba, nec hami,
Nec tutum, aut anceps avidis piscantibus æquor,
Non Lunæ, non Solis iter, non æstus, & imber,
Nostra tot ærumnis circumdata pectora tangunt.

Alex. *Hoc tamen, hoc vellem, Lycida; ne saucius ictu*
Sis adeo, ut quodam saltem lenire dolorem
Non tentes studio. Vim fati vincere oportet,
Qua melius via promta datur: curasque molestas
Expellant lætæ: mens est variabilis, ut res
Sunt variæ; veteresque novis affectibus arcet.

Lyc.

Lyc. *O utinam possem: tentavi; at inutile quodvis*
Tentamen nosco: minui quæ debuit, aucta est
Tempore mæstitia; & crescet, crescentibus annis.
Quod video, quod ago, tacitus quod mente revolvo;
Sive diu vigilans, noctu seu somnia carpens,
Cuncta mihi Clorim ostendunt; memorantque beatam,
Quam duxi vitam; infaustam quam ducere cogor.
Dum sparsas tecto nassas, dum retia in orbem
Composita aspicio; nostrum hæc spectacula visum
Perturbant; oculisque meis privarier opto:
Et dico; has nassas, hæc retia texuit olim,
Subcisiva inter curarum tempora, Cloris,
Nostrorum adjutrix, numquam pertæsa, laborum:
Frangantur nassæ, frangantur retia; clamo:
Ah! nusquam extinctæ vestigia Cloridis adsint;
Quæ, dum non vivit, vivam mihi Clorida monstrant.
Sæpe etiam ante oculos dilecta apparet imago,
Pallidaque, atque alio vultu circumvolat umbra
Conjugis; atque loqui mecum sic illa videtur.
Ah! tibi Natorum sit cura; tenellula poscit
Hoc ætas, communis amor, communia vota.
Tu dulci Puero, paucis hinc mensibus orto,
Vagitum solare; & tu, pro matre, labellis
Oscula fige in eum: tu, quando creverit, illum,
Quæ fuerat mater, doceas; ut noscat amare,
Quam numquam vidit. Scis Dorim, ah! viscera nostra,
Caram filiolam; hanc tu dirige; & ore cadentes
Tergas lacrimulas, dum circum sedula quærit,
Atque vocat matrem, matrem nec repperit usquam;
Nec respondentem teneris hanc vocibus audit.
Dic, alio migrasse; brevi, dic, illa redibit:
Ficta, sed apta tamen minuant mendacia luctum.
Narra fabellas, quo sensim oblivio matris
Impediat questus; longo post tempore discat
Amissam, nec spe redituram credat inani.
Alex. *Vera refers; sed non ideo excludenda medela est:*
Quid facies? Sic astra jubent; quam ferre recusas,

O *Hæc*

Hæc eadem sors quemque manet : namque ocyus ille,
Tardius hic moritur : superest tamen omnibus idem
Exitus . Anne, obitu celerato uxoris , & ipse
Vis celerare tuum ? quid damno adjungere damnum
Proderit ; & Natos privare utroque Parente?
Divisa ambobus , saltem conjuncta sit uni ,
Quamvis ista gravis , teneræ custodia prolis .

Lyc. *Si vinci forsan possem ratione ; fatebor*
Me victum : sed nil ratio , te judice , Alexi ,
Urget ubi sævitque dolor , superaverit umquam .
Ipsi etiam Nati , Nati ipsi , dulce levamen
Qui mihi debuerint evadere , acerbius augent,
Dum voco , dum hos video , per saucia corda dolorem:
Ipsorum in facie , facies ipsissima matris
Obvia fit : teneo infelix , quam suaviter illos
Tractabat , qua cura illos , studioque fovebat
Tam tenera ac prudens genitrix, & amabilis horum
Custos , ah! custos nimis impigra prole tuenda.

Alex. *Desine plura . Alio mentem convertere fas est ,*
Ut monui : quod non hodie , cras vincere speres :
Quod durum est , longo patientia mitigat usu :
Difficile in præsens , proclive fit inde : nec inter
Tot tantasque vices aliter consisteret Orbis .
His cedas monitis : sinerem suspiria , fletus ,
Protrahere in longum ; possent si talia Clorim
In vitam revocare , atque hanc tibi reddere rursum,
Hoc frustra speratur : inania vota videntur ,
Optato quæ fine carent . Ne desere nostrum
Consilium , quod noster amor tibi suggerit . Anne
Ignoras , quanto sum te complexus amore?

Lyc. *Quod potero , efficiam : nec enim tua spernere dicta ,*
Quæ grave pondus habent , nobis impune licebit .
Et , si fata dabunt , per te relevarier isto ,
Quo erucior , luctu ; nil colles , antra , recessus,
Nil piscatores , quos hæc tenet Insula plures ,
Voce mea exciti , resonabunt , præter Alexim .

Interea

Interea illuc redire, unde discessimus, hora pene elapsa, opportunum duximus. Ita exequimur; & redeuntes navim e prospectu proxime venientem ovantes conspeximus. Viam proinde celeramus; ac tandem eo in scopulo, ubi navis expectabatur, consistimus. Tunc præcipuus eorum labor incalescit, qui in litore relaxandis funibus lentam ac pacatam prius operam dabant: Hi, dum phaselus revertitur, in geminam aciem divisi, eosdem, quos in pelagus immisere, valido nixu e fluctibus ad litus retrahunt funes, tanta vi, ut in eorum pedibus ac lacertis sanguine inflatæ turgeant venæ; vultus ferrugineo vestitur undique rubore, sudor ex inflammato ore, ex defatigatis humeris, ex palpitante ac piloso pectore uberrime defluit. Pueri, in vices sibi demandatas operosi, funes reciproco motu excipiunt, & in orbem lepide componunt. Paullo post, præda in extremo retium carcere inclusa, ad riparum marginem pervenit. Accurrimus inspecturi; parvæ etiam moræ impatientes, quam piscatorum sollertia in aperiendis retibus caute impendit. Miramur piscium copiam, &, quod maxime placuit, illorum præstantiam: avidis oculis, & lætitia perfusis, intuemur illos, vivos adhuc, squamas suas, auro argentoque coloratas, omni conatu dimovere; saltu tentantes, ab illa non tolerata prius servitute ad nativam libertatem, insidiis ereptam, convolare. Erant, ut numeravimus, viginti Mulli, librales fere omnes, pauci hoc pondere minores: novem Soleæ, quarum tres pulpa & mole reliquas superabant: Scorpenæ undecim, quædam non ita parvæ, ut negligerentur; duæ grandiores, quæ satis laudari non poterant: ex minuto autem genere pisces varii ac complures, ut exhilarare quidem possent voraces insatiabilesque helluones, qui copiam quærunt, qua saginentur; non delectum, quo palatum titillent. Solvitur piscatoribus pretium, pinguius eorum desiderio, quod partim cederet iu mercedem, ut ratio postulabat, partim in præmium, ne nostra eos falleret promissio. Parantur cistæ: odoro musco vestiuntur: in iis pisces nitidi atque ab arena purgati locantur, mox domum

traducendi ad prandium exornandum. Dum hæc agerentur, tempori accedunt tres Puellæ, quibus comites adhærebant totidem Juvenes, sanguine, ut videbantur, conjuncti, ob ingenuam familiaritatem, & severum decoris aspectum. Incedebant illæ habitu satis concinno; palla cinctæ, ad media crura defluente, & optime terminata, quæ, interno flexili orbe tumens, venustam fingebat rotunditatem; brevi veste superimposita, quæ ab latis humeris parum ultra graciles & arte constrictos lumbos excurrebat flexuosa, & laciniis distincta; sericaque tenuitate levis, ac nullo vinculo lateribus & pectori cohærens, ad quasvis molles auras evolabat; medium caput subtili candidissimoque velo tectæ, quod partim oculis spectantium furabatur, partim exponebat semitonsas comas, docti pectinis industria, ac subsidiaria calamistri ope, in multam elegantiam dispositæ. In una ex his forma emendatissima: in aliis duabus nescio quid delicatius desiderares; vitiosum ac deforme nihil inveniebas; ita sane, ut si pulcherrimam ante oculos non haberes, aliæ, sublata comparatione, tam rigidam censuram non admitterent, integramque sibi vindicarent laudem venustatis. Istæ igitur Puellæ avide divitem nostram prædam inspiciunt, & commendant; & inter se tacita oculorum petulantia colloquentes, nostræ sortis beneficium, non aperto vultu invident, quod præter muliebrem modestiam foret; sed occulto quodam affectu, in quo celando sexus apprime doctus est. Nos fœmineæ artis non ignari, quæ, ubi minus loquitur, plus optat; & sæpissime, quod contemtu præterit, ardentius expetit; integram prædam dono obtulimus. Illæ verecundo subrisu grates reddunt, & pudica exteriore repulsa ab hac largitate sese abstinent. Nos contra insistimus; &, ne urbanum officium renuant, precamur; monentes, in re levi obsequium ab ipsis recusari, injuriæ loco esse habendum. Hæsitant illæ, tacent, & quid sibi agant, quamvis sciant, fingunt nescire. Nos animum eis addimus, & blanda vi ad accipiendum impellimus. Victæ tandem illæ nostro impulsu, piscium tertiam partem sumunt, reliquos nobis servant;

&

& amabilem litem partitio, nobis non incommoda, ipsis ex insperato obventa, placidissime composuit. Data inde ac reddita salute dividimur; & domum perducti lautis epulis indulgemus.

Præteriit biduum; & tertia illuxit dies, nostro discessui jam destinata, & præ sua amœnitate ad navigandum mirum quantum opportuna; sed, nescio, an desiderata magis ob gratissimum in Patriam reditum, an magis molesta ob duram a Vitellio separationem. E tecto ad litus jam proficiscimur, ipso comitante Vitellio, qui se a lacrimis non temperabat, quas dum tentat magis retinere, magis effundit; nostrasque provocat uberiores in testimonium grati animi, acceptique beneficii memoriam ex præstito tam liberaliter hospitio. Tandem ita ille ad nos. Clarissimi Juvenes, quos mihi morum candor, ingenii acumen, bonarum artium cultus dulci ligamine obstrinxere, parcite, rogo obtestorque, si non quantum vobis debebatur, multum enim deberi video; sed quantum licuit mihi, quod sane minimum est, exegi. Probe teneo, majora a vobis expetita non fuisse, qui moderatione polletis eximia: verum majora exhibere in votis erat, si possem; ut satis mihi uni facerem, qui ad grandia feror; non vobis, quæ levia quæque pro maximis habetis, ingenii facilitate, parvi contenta, numquam fastose spreti, sed etiam præter meritum ingenue laudati. Illud tamen, reticere prorsus nequeo, quod, sicuti vester me adventus summa affecit lætitia, ita gravissimo discessus me cruciat dolore: &, ut verum fatear, certe præstaret, illa caruisse lætitia, quæ jam præteriit; quam præsenti hoc dolore premi, qui tamdiu me torquebit, quamdiu dulcissimæ vestræ consuetudinis recordatio meum pectus non deseret; nec deseret profecto, nisi cum mihi sine pectore vivere dabitur. Ite igitur felici omine, ut spero. Votis arrideant vestris Superi, ut enixe deprecor. Mei, ut opto, memores estote; quod prorsus non dubito: & hac una spe, dum solus hic degam, mentem solabor, præsentiam nempe vestram, qua frui semper non poteram, dumtaxat a me fuisse amissam;

animum tamen vestrum, vestramque benevolentiam perpetuo acquisitam. Dum hæc commemorabat Vitellius, madidi rubebant oculi, pallidus in ore languebat color, loquendi vis paullatim deficiebat. Nos hisce exceptis dictis, primo impetu, conamur respondere: sed postea faucibus vox hæsit; & repente natus ex mæsta quadam dulcedine stupor os clausit, & verba inter labia inhibuit. In hoc affectuum tumultu audacior factus Pinarius, inquit: Quid est hoc, Vitelli? Ah! cogis nos necessaria quadam rusticitate te insalutatum prorsus relinquere; &, fractis observantiæ nostræ legibus, procul a te præcipites aufugere. Nimis pectus nostrum hac tua oratione torques ac conturbas. Pares sustinendo mærori, quem fletu tuo ac suspiriis ingeris, non sumus. Pœnitet quodammodo, huc accessisse: voluptatibus, quas abunde percepimus, renunciatum libenter fuisset; si tanti earumdem constaret exitus, ut hac ingenti amaritie perfunderetur. Pone, igitur, pone tuo dolori modum, Vitelli; extolle animum: tales nos habebis absentes, quales præsentes habuisti; tui nempe amantissimos, tuæ obnoxios munificentiæ, tuis jussibus paratos, tuarum denique laudum ubicumque locorum assiduissimos præcones. Fac igitur, ut ex læto vultu tuo lætum quoque nostrum comparemus; & pari hilaritate, qua nos benigne excepisti, nunc etiam omni nos molestia solutos dimittas: nec sinas, gaudium, quo ab urbanis solicitudinibus, te auctore, sumus relevati, mox in tristitiam, tuimet caussa, convertatur; & novis suscipiendis in reditu curis desides nos ac fastidiosos reddat potius, quam alacres & operosos, in quem finem feriari oportuit. Cæterum, uti nunc de collatis in nos beneficiis grates agimus maximas; ita, ubi dabitur occasio, & quousque vires suppetant, relaturos speramus; non quas mereris, difficile enim id foret; sed quas amor poterit, qui numquam obsequio carebit, nisi quando nos vitæ usura carebimus. Hic vehemens Pinarii sermo, mæstitiam vicissim subortam non parum temperavit: quare, vale dicto, & non semel dulciter repetito, arctisque amplexibus & suavis-

ſuaviſſimis oſculis ſatiati, dividimur. Quiſque noſtrum ſuum in phaſelo, ad curſum parato, locum occupat; & erga patrias ſedes iter, ſecundis auris, inſtituimus.

O utinam Autumni, multis volventibus annis,
Qualis hic in præſens lætus abivit, eant.

ILLIS, QUI HÆC LEGENT.

. . . . *Vos, ſi vobis placet,*
Et, ſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite;
Qui laboribus *eſſe voltis præmium, plauſum date.*

Plautus in Captivis, *Scen. ult.*

INDEX
EORUM,
QUÆ
IN FERIIS AUTUMNALIBUS
COMPREHENDUNTUR.

Epi-

AUCTORIS
CARMINA,
QUÆ
POST COLLECTIONEM ANN. CIƆIƆCCXLII

SPARSIM SUNT EDITA

AD V.CL.PASCHALEM DE MATTHÆIS E SOC.JESU,

Qui Auctori Elegiam scripserat de Obitu Dominici Ludovici ejusdem Societatis, Poetæ disertissimi, cujus Carmina Neapol. edita ann. CIↃIↃCCXLV omnium plausu excepta fuere.

Quos mittis, tristes elegos, MATTHÆE, recepi;
Miratus, niteat quantus in hisce lepos.
Et grates reddo, nostræ quod divite vena,
Plus æquo, famæ consuluisse studes.
Non equidem merui: laudas, quod deficit in me:
Arte, nec ingenio dos mihi nulla redit.
Quique legat laudes, nimium commendet amorem:
Judicium certe non probet ille tuum.
Sed satis hoc. Vidi, quanto tu percitus œstro,
Quæ nuper luctus sint data signa, canas.
Nam Laurum, magni qua cingitur umbra Maronis,
Ipse refers, virides deposuisse comas.
Ut, quem perdidimus, LUDOVICI morte, doceret,
Impatiens pompam sustinuisse suam.
Dum tamen hæc memoras, iterum ad suspiria pectus,
Ad lacrimas iterum lumina nostra vocas:
Atque aperis vulnus, cœpit quod tempore claudi;
Et gravius, tentas dum renovare, facis.
Scimus, qui fuerit LODOIX: non noscere vellem,
Quam noto posthac me caruisse viro.
Quid juvat, immensa primum dulcedine mergi;
Cum post gustandus tristis amaror erit?
Quidve juvat, breviter spatiosa luce beari;
Dein oculos tenebris & sine fine premi?
Eheu! qui mores, qui visus amabilis olli,
Qui gratus placido risus in ore fuit!
Heu! quantum ingenium, & felix, & ad omnia natum;
Quantaque doctrinæ mente reposta penus!
Tres didici tanto sub Præceptore per annos,

E

E cathedra Sophiæ cum documenta daret.
Qui scriptis candor! viva quæ voce venustas!
Copia quæ rerum, quæ meditantis opes!
Discipulos sollers omni pro parte juvabat;
Præstans, quam sibimet quisque petebat, opem:
Visus enim tardis patiens, subtilis acutis,
Exsuccis uber, firmus & ambiguis.
Atque Stagiritæ quamvis monumenta Magistri,
Ritu majorum, debuit ille sequi;
Ardua quæ fuerant, cultu explanavit amœno;
Abdita perspicuis explicuitque modis.
Et sale perfricuit, fuerant quæ orbata lepore,
Ut saperent, paucis quæ sapuere prius.
Nec, quæ Scriptores commenta recentia tradunt,
Nos voluit sicco transiliisse pede.
Illorum valide monstravit somnia; falsum
Qui verisimili sub novitate tegunt,
Præstare ingenio hos, dixit; ratione carere:
Laude quidem dignos, non tamen esse fide.
Sed non his tantum studiis excelluit: Illi
Pierides vatem non habuere parem.
Præsertim versus, quorum brevis alter, & alter
Productus, nitido texuit ille stilo.
Nil addas melius, nil demas forte redundans:
Omnia nativi plena leporis erant.
Et veneres, quot habet puro in sermone Tibullus,
Invenisse illum, non rapuisse putas.
Testes appello pulcherrima CARMINA, *nuper*
Cusa typis, quovis non peritura die:
Quæ licet Auctoris genio neglecta jacebant,
Quo mage cara aliis, hoc sibi cara minus;
Victa est post vitæ tam rara modestia cursum,
Vincere quam dudum non potuere preces.
Irrita debebant illius vota relinqui;
Irrita ne Patriæ vota relicta forent.
Consilium unius communis opinio fregit:
Privata potior publica caussa fuit.

Nemo

Nemo suis rebus posset, si vellet, abuti:
Hoc fatuum imperium provida jura vetant.
Hæc scripsi mærore animi confectus, Amice.
Parcas, incultus si tibi scriptor ero.
Qui dolet, ipse sui compos non esse videtur;
Informes fœtus mens agitata parit.
Ingenii culpa, dedimus mediocria semper:
Nunc, luctus caussa, deteriora damus.

IN FUNERE F.BERNARDI MARIÆ GIACCO

E Capucinorum Familia,

Oratoris eloquentissimi.

A fronte Cenotaphii

Quidquid id est, BERNARDE, tibi, quod solvimus, unum
Si demas animum, quem gerimus, nihil est.

Uno ex latere

Qui vivunt donum retinent commune loquendi.
Maxima post mortem gloria posse loqui.

Altero ex latere

Vivere cui miserum est, miserum est occumbere. Neutrum
Hoc tibi. Grande fuit vivere, grande mori.

Sub Icone supra Cenotaphium.

Qui vivens solidæ fuerat virtutis imago,
Nos quoque virtutem mortuus ore docet.

Sub

Sub alia Icone, ante ejusdem præclarissimas Orationes typis editas.

Duplex BERNARDUS. Vitium correxerat alter:
Alter Virtutem qui celebravit, hic est.

INSCRIPTIONES

In Neapol. Nundinis ann. CIↃIↃCCXLVI

Ante Regias ædes.

I

Super Ingressu.

INgredere. Aspectu ne defrauderis amœno:
Namque hic delicias, quas mage poscis, habes.
Publica lætitia est, quam REX parat. Utile Dulci
Miscet: & hoc duplici munere Regna beat.

II

Ubi prostant Edulia.

Gratior ecce locus, qui præstat Edulia; & horum
Non unum genus est; ut variare queas.
Integra non veniunt festis solatia ludis,
Si tantum gaudent lumina, venter eget.

III

Ubi venduntur Vasa fictilia, Neapoli affabre confecta.

Nobile de nostro prodit Vas fictile Regno.
Quod Sinæ jactant, jam superamus Opus.
Ingenium nostrum quid non feliciter audet,
CAROLE, dum nostris auspicibus ipse faves?

IV

IV

Ubi Judex adest pro criminibus coercendis.

Hic pax, hic requies, hic otia dulcia. Longe
Hinc audax, semper pronus in omne nefas.
Præsidet hic Judex, armato milite cinctus,
Quo juvet ille bonos, puniat ille malos.

V

Ubi adsunt Consules ad Commercii lites dirimendas.

Consul adest, ut lance pari Commercia constent.
Venditor hinc tutus, tutus & emtor erit:
Absque mora precium, quod convenit, accipit alter:
Absque ullis merces fraudibus alter habet.

In Regias Ædes Academiæ Picturæ
Epigraphe.

QVOD. NON. EST. QVOD. ABEST. PRAESENS. QVIS. REDDERE POSSIT?
ILLE. PROCVL. DVBIO. QVI. BENE. PINGIT. ERIT.

In Regias Ædes Academiæ Sculpturæ
Epigraphe.

SCVLPTA. PVTES. VIVOS. EDVCERE. MARMORA. VVLTVS
NI. CERTO. SCIRES. NON. EA. POSSE. LOQVI.

Pro elegantissima Bibliotheca

A FRANCISCO SPINELLI

Tarsiæ Principe recens instructa.

ADjuvet, an noceat librorum copia, lis est:
Lis, quæ defendi strenue utrimque potest.

P Sunt,

Sunt, qui contendunt, ingenti mole gravari
Ingenium; parva, cui vigor insit, ali.
Contendunt alii, mentem non noscere frenum;
Nec claudi angusto limite mentis opes.
Ex his quæ melior sententia? Judicet ille
Qui velit: alterutram si probet, ipse probo.
Hoc unum statuo: Plures conquirere libros,
Atque hos ornato disposuisse loco;
Et sinere, ut cunctis pateat pretiosa supellex;
Hæc est excelsi gloria summa viri.
Nam quoties unus libros non devoret omnes;
Multi divisim, quo satientur, habent.
Hoc tu, SPINELLÆ Gentis pars maxima, PRINCEPS,
Et cura & sumtu splendidiore paras.
Sic bene respondes genio, quo CAROLUS ardet,
Ut perdiscendi promoveatur amor;
Atque suo Pallas sub Numine læta triumphet,
Sive armata foris, sive togata domi.
O Patriæ columen, Romanæque indolis Heros,
Tamque hujus Sæcli, quam venientis honor,
Vive diu, & tot, quos cupimus, feliciter annos,
Quotquot in Orbe tuum nobile vivet Opus.

In Obitu pientissimæ Mulieris

ROSÆ GIANNINI,

Cujus in corde inventa sunt tria vulnera.

HÆc Mulier sacrata Deo, dum flagrat amore,
Dius Amor triplici vulnere corda ferit.
Sic vivit, dum sic patitur. Miraris? Amanti
Semper idem fuerat, vivere, sive pati.

IN

IN NUPTIIS

MARCI ANTONII GRIMANI ET MARIÆ PISANO

CUR cæcus fingendus Amor; quasi lumine cassus,
Quidquid agi debet, præcipitanter agat?
Immerito infertur tanta hæc injuria Amori:
Sæpe sua sapiens visus in arte fuit.
Res patet exemplo. Venetûm celebratur in urbe
Conjugium, instruxit quod sapienter Amor,
Qui sapit, hoc spectat; ne quidquam in Conjuge utroque
Sit dispar, quo fit turgidus alterutrer.
Hoc vitavit Amor; nam splendent Sponsa, Maritus,
Ingenio, forma, nobilitate pares.

In Icone

P. PHILIPPI GATTI

E Divi Augustini Familia.

HOc moriente, mori visa est facunda Poesis:
Ars facit, hac saltem vivat in effigie.

In Icone Regii Consiliarii

ANTONII MAGGIOCCO

I

Justitiæ hic potius pingi debebat imago:
MAGGIOCCHI melior sic foret effigies.

II

Hic est MAGGIOCCUS, Justi moderator & Æqui:
Invenies, tanta qui valet arte, parem?

III

MAGGIOCCHI est eadem, ac æquæ Rationis Imago:
Alterutra, ut possis noscere utramque, sat est.

P. LEONARDUS ROSINUS,

Societatis Jesu Orator eloquentissimus, commendatur.

UT nos heredes Cæli reddamur, ab Illo,
Qui supra mortem est, mors subeunda fuit.
Non satis hoc, nisi nos operemur; & ubere fructu
Uti conemur, quem Deus ipse tulit.
Et tamen hoc fructu [quis credat?] spernimus uti:
Tendimus in præceps, dum via tuta patet.
Tu, sacer Orator, dictis sapientibus, hujus
Erroris nosmet pœnituisse doces.
Indociles terres, timidos solaris, inertes
Impellis, firmas in pietate pios.
Diceret Is, Paullum cupiit qui audire loquentem,
Vel novus est Paullus, vel vetus ille redit.

In Nun-

In Nundinis ann. CIↃIↃCCXLVII.

Ob natum

CAROLO

NEAP. SIC. AC HIER. REGI

PRIMOGENITUM FILIUM

D. O. M

DIVO. IANVARIO
VT. NATVM. REGI. PVERVM
DIV. SOSPITET
INSTITVTAS. QVOTANNIS. NVNDINAS
AVSPICATO. TVEATVR
VOTA. PVBLICA.

I

Spes frustrata diu pœna est: sed, rebus adeptis,
Hoc mage pœna placet, quo mage longa fuit.
Displicuit non ante dari; nunc REGIUS INFANS
Lætitia Populis uberiore datur.

II

Excipit amplexus Matris, Patris oscula carpit,
Prænoscens, quam sit carus utrique, PUER.
Cor nostrum accipiat: Quod si Matrique Patrique
Hoc dedimus; Nato gaudet uterque dari.

III

BORBONIÆ Stirpis, quæ prima est, Mascula Proles,
Nostra, non alia sub regione venit.

Nos tantæ sortis dites, clamabimus: Hic est,
Hic Orbis gemini qui Moderator erit.

IV

Grande fuit donum, Regalem hic figere sedem,
CAROLE; perpetuum non tamen illud erat.
Hoc dare non poteras: sed qui te diligit, & nos
Præsens tutatur, jam dedit ecce Deus.

INSCRIPTIO

Super Divi Januarii Simulacro

In Nundinis

Ann. CIƆIƆCCXLVIII

Annua jam redeunt fausto Spectacula cursu,
DIVE, sub auspiciis splendidiora tuis.
Per te nos, quacumque super Regione superbi,
Invidia digni, non pietate sumus.
En, quo REGE, & qua rerum UBERTATE potimur!
Fac, Isthæc crescat, regnet & Ille diu.

In Nuptiis

PRINCIPIS OCTAVIANI

E familia Medicea.

Unicus es, Princeps, Medicei flosculus horti:
Non tamen hoc uno flore superbit humus,
Adde novos pratis generoso semine flores;
Ut florum pompa divite vernet ager.
Nec timor est, quin aura levis, quin mitior imber
Fœcundo lactet germina culta sinu.

Nec

Nec cito languebunt; certentque voracibus annis,
Semper & aspectu, semper odore pari.

IN NOSOCOMIO

In ampliorem elegantioremque formam restituto.

Illos, quos morbus premit insanabilis, omni
Auxilio orbatos, excipit ista Domus.
Hæc eadem tetro primum squalore jacebat;
Angusto stabat gens miseranda situ.
Nunc spatiosa nitet: nunc est languentibus ægris
Vel mors dura minus, vel mage tuta salus.

INSCRIPTIONES

In restitutis ac ornatis Ædibus Sacri Regii Consilii Neapolitani.

SUB REGIS

CAROLI

EFFIGIE.

FAMA, TOT INGENIIS TOT HONORIBUS ORTA, SENATUS,
JAM MAJOR PER TE, CAROLE, IN ORBE SONAT.
UTILITAS POPULIS, CONSULTIS NORMA, TOGATIS
GLORIA, QUAS DEDERAS, LEGIBUS AUCTA FUIT.
RECTI COGNITIO, DOS LINGUAE, MENTIS ACUMEN
NOBILITANT POMPA SPLENDIDIORE FORUM.
ISTA DIU SUB TE FELICIA TEMPORA CURRANT;
TALIA SUB NATIS EXPERIUNDA TUIS.

SUB REGIO STEMMATE.



C A R O L O

PIO. FELICI. TRIVMPHATORE

NEAPOLIS. SICILIAE. HIERVSALEM. REGE
MARCHIONE. CAROLO. DANZA
PRAESIDE. SACRI. REGII. CONSILII
ARCIS. CAPVANAE. AEDES
REGIO. OLIM. DOMICILIO
HVIC. DEINDE. SENATVI. HABENDO
DESTINATAE
MAGNITVDINE. QVIDEM. ADSPECTABILES
NITORIS. INOPES
IN. HANC. ELEGANTIAM
DIV. DESIDERATAM
TENTATAM. SEMEL
PRO. DIGNITATE. NVNC. ABSOLVTAM
ADVOCATORVM. AERE. CONLATO
RESTITVVNTVR. ORNANTVR
ANN. CIϽIϽCCLII

Ad Deiparam

VIRGO, digna coli, VIRGO, dignissima amari;
Cum qua cuncta juvant, qua sine cuncta nocent:
Ah! rege tu vitam, rege tu, Spes unica, mortem:
Sic neque vita labor, mors neque terror erit.

DIES

DIES GENIALIS
OB PROROGATUM
CARDINALI
MICHAELI FEDERICO
DE ALTHANN
Proregis munus

ANN. CIƆIƆCCXXV

PEr hos æſtivos menſes, quibus, more Majorum, vacui a negociis feriamur, declinatque Forum ſoluta mens ac ocioſa; a conſuetudine procul inertium hominum ſuaves inter ac ingenuos amicos genio indulgemus; & ſæpe urbem rure commutamus; placide aliquando etiam domi mutuis nos confabulationibus non injucunde detinemur. Proximis hiſce præteritis diebus, cum primo mane pedem e tecto extuliſſem ad captandum ex inſtituto ſaluberrimum illum cæli albeſcentis aerem; ecce per viam occurrunt T. Flaminius, Q. Lælius, & L. Sempronius,

1 . . . . *animæ, quales neque candidiores*
Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!

Tum hi rogant me blande ac concinne, qui valeam, vel quo memet agam, & alia neſcio quæ, quibus ſolent Amici inter ſe officii cauſſa brevem moram injicere: quibus ego, & bene me valere; & in animo eſſe, corpus matutina deambulatione leviter defatigare, ut famem obſon-

1 *Horat. Sat. IV lib. I*

sonarem in prandium. Si ita est, tum illi, sinas quæso nos tibi itineris comites adjungi. Res, inquam, cecidit, ut optabam. Eamus quo lubet: nobis profecto hanc spero conjunctionem voluptati fore. Jamque ex compacto iter habuimus, qua urbs ab septemtrione assurgit in molles clivos, frondosa vitium pompa, cæterarumque arborum viridi familia luxuriantes, quique suavissima cæli clementia, situque eleganti, atque aspectu amœnissimo innocue superbiunt. Eo tandem, quo destinavimus, perducti, patens ibi sub ingressu primo rus offendimus; ubi considere per id temporis placuit, quo vires paullum reficerentur ab itinere, & in reditu validiores redderentur. Ruri ædiculam, papæ, quam bonam dominus adstruxerat, cui hæc curavit lepide inscribenda.

AD.BONVM.OCIVM.FELICITER.CONTERENDVM
RECREANDVMQVE.AB.SVIS.AEGRITVDINIBVS.ANIMVM
INTER.FORTVNATAS.REPOSITI.NEMORIS.SOLITVDINES
RVRICVLAM.DOMVM
PAVPERCVLA. QVA.FACTA.EST.ELEGANTIA
HOMO.CVRAS.PERTAESVS
INSTRVXIT
VOS.O SOLIDAE.INTEGRAEQUE.VOLVPTATES
DVLCISSIMA.AGRESTIS.VITAE.PRAEMIA
INTERVENTV.VESTRO
LOCI. INDOLEM. BEATE
VOSQVE.TRVCES.MOLESTIAE
HOC.TACTAE.GENIO.AMABILI
MELLITAE.HIC.SVAVESQVE.EVADITE

Ad fores aderat industrius senex, fungino petasatus pileo, & tunicatus bardocucullo, colore subfusco, vultu non insuavis, nec ita ad vitam rusticam factus, ut moribus urbanis videretur exutus. Hic molli junco amara cichorea, & aliud nescio quid agrestium olerum in minutos fasciculos; curiosa manu, componebat. Stabat seni proxima, excipiens illos elegans puella, forma bona, annisque florens; quæ palla ad lumbos succincta, plica-

toque

toque supra neglectas comas linteolo, villicarum more, sollicitam se factiosamque præbebat; exceptos fasciculos, aqua e cado sumta, lepide tergendo, purgandoque diligenter terreis sordibus, ut ita emtores alliceret lubentius. Hisce postea oleribus commodule onerabat aselli vimineam stoream, uno atque altero humero pendentem, quem per collum fune alligatum regebat gratiosus tenellusque puer, sed astutus ac malitiosus, quantum ætatula ferebat; qui, laboris ac moræ impatiens, oculos suos fletu corrumpebat; &, mussitando, senem puellamque increpabat, ne ipsum diutius retardarent, sed sinerent, ut ipse abiret; erat fortasse

1 *Pransus non avide, quantum interpellet inani*
Ventre diem durare.

Pueri verbis ac lacrimis misericors facta quædam anus, quæ erat quidem visu digna: sedebat enim ab eo non procul, marcescentibus oculis, putrique naso, ac corrosis auribus, quassansque præ vetustate utroque caput, animam spissa acutaque tussi intermittens, & e lana colo implicata fila tardo tremuloque pollice trahebat: Et solvite, ajebat, ab omni mora dilectum hunc pupum, meum corculum, delicias meas; ac tentata manu puerilem intolerantiam placide leniebat. Postea quam lepidum sane spectaculum plurima nos affecerat delectatione, rati non esse ulterius præ vestibulo ruris cunctandum; a sene precario petimus, ut nobis liceret ingredi, & paullum sedere. Ille, aperto capite, inquit urbanissime, ite redite liberius: manete, discedite, prout lubet: meo hoc conducto prædiolo pro vestro ad satietatem utimini. Nos vincti beneficiis, grates habuimus maximas; & relaturas, siqua futura esset occasio, promisimus. Deinde introducti, oculis lustravimus, qui posset locus suo viridi frondium tegmine nos ab insurgente Sole defendere. Deprehendimus interea loci fontem, sponte sua e vivis lapidibus, nulla arte compositis, limpido cursu effluentem,

1 *Horat. Sat. VI lib. 1.*

tem, platanisque ac aliis arboribus coronatum ; quem hisce versibus ornatum voluit dominus.

Clangentes undas redimite suaviter umbræ ;
Et ride in vivo margine gramen olens.
Algentes circum spirate beatius auræ,
Quo mea sint placido lumina capta situ.

Hic sedimus, & sudorem e fronte detersimus; ac, aperto pectore, auras recepimus, molliter spirantes, liberioremque spiritum æstuantes emisimus. Lælius non ipso naturali auræ flatu contentus, grandiorem excitabat, agitato hinc inde linteolo, quod pro tergendo sudore ad manus habebat. Interea dum familiariter varia rerum dissertatione tempus fallere cœpimus, atque aliud, ut fit, ex alio ferere; nescio qua sermonis trajectione mentio honorifice facta est de egregio MICHAELE ALTHANN, viro ex splendidissima gente orto, suis meritis in Purpuratorum Senatum cooptato; qui hujus Regni moderamen pro sua sapientia obtinuit; & pro sua nunc explet dignitate; immensaque lætitia conclamatum est: Felix, faustum fortunatumque sit Neapolitano Regno, quod tanto heroi Proregis munus in egregiorum operum illustre testimonium fuerit nuperrime unanimi plausu prorogatum. Ad hæc, Flaminius, dilectum Musis caput; Sinite, inquit, Amici, ut Carmen, quod in hoc argumentum, hisce diebus, meditabar, vobis memoriter, modo integre suppetat, recitem; ut nos pro hac nostra parte concepto gaudio obsequamur. Commodum, diximus, res evenit: quam dulcissima est occasio. Recita, quæso, recita quam citissime; nec morositate aliqua nos in longum protrahe. Novimus te a natura ingenio alacri ac promto paratum, quale sibi merito vindicat Poesis. Nihil ultra cunctatus Flaminius, sic incepit.

Solliciti si forte diu speravimus; ecce
Reddita spes voti compos. Jam pellimus omnes,
Quos, spe protracti, concepimus ante timores,
Ne MICHAEL nostra, ah mæror! discederet urbe,
Et, sedem antiquam, peteret Capitolia Romæ.

Non

Non ultra his agimur curis; factusque decoro
Jam desiderio locus est; summaque potiti
Fortuna, supra invidiam lætamur ovantes.
Gaudete, o quicumque bonum commune fovetis,
Et quibus est Patriæque salus & gloria cordi.
Nobiscum manet ILLE: iterum nunc urbis habenas
Suscipit, & gestit, gemino se munere fungi
Principis ac Patris: quam dulcia nomina! quorum
Jam sumus experti lapso mox tempore fructus;
Ac, tali allecti genio, persæpe precati
Nos Superos fuimus, tanta ne forte negarent
Longe posse frui. Precibus Deus annuit. Urbem
Lætitia & plausu, solito majore, replevit.
Ergo, quæ mea sunt, quæ sunt communia nostræ
Munia fortunæ, juvat indulgere Camœnis,
Et juga Parnassi, felici consita lauro,
Visere, & umbrosos Pindi conscendere clivos;
Hic ubi perculsi insolito cantabimus æstro.
Quam dulcis se materies, quam gratior offert
In tanto rerum aspectu, quas sidera nobis
Largius effundunt! Premere alta silentia, curis
Nec relevare animos, stimulo prohibemur honesto.
Hac igitur læta adsitis quicumque corona,
Atque hilari risum festi prætenditis ore,
Ominibus faustis, poscunt id plectra, favete.
Parthenope, urbs alias inter quæ maxima frontem
Explicat, & rara naturæ dote superbit,
Deliciis nitidi pelagi, & telluris apricæ
Affluit: illud enim placide crateride ludit;
Et vitreo suscepta sinu felicitat ausa
Piscantum, & præda beat uberiore labores:
Altera bis gravidos alit impigra frugibus agros,
Assiduo semper ridens pulcherrima vere,
Et faciles pluvias, & Solem experta benignum.
Præterea, Heroum mater, belloque domique
Vulgarem supra fortunatissima sortem
Erigitur; gaudensque sibi, miratur Alumnos
Seu regere imperio populos, seu marte secundo,

San-

Sanguine nutritas metere inter prælia palmas.
Non aliis tamen a titulis felicior illa
Assurgit, quam quod subeuntem munera Regis
Te, MICHAEL, sortita sibi est. Nil dulcius ipsi
Evenisse putat. Te te solatur in uno;
Te spectat, vultuque tuo capit integra sortis
Argumenta suæ. Per te concordia cives
Inter se pacata fovet; Themis alma triumphat,
Reddita jam prisco, depulsa fraude, nitori;
Non auro, non arbitrio servire potentum
Cogitur: ostendit nudatum fortiter ensem
In pœnam, scelerum ultricem; meritisque probandis
Æquatas hinc inde gerit firmissima lances.
Per te fœcundat tam pleno Copia cornu
Has cæli partes; Geniique & Gratia rident,
Sertis ornati roseis: pateraque rubentes
Fundit divitias, præcinctus utraque corymbis
Tempora, perpetuam referens Deus ore juventam:
Italiæ per te ditant commercia fines,
Agnoscuntque fidem, qualem secla aurea jactant.
Cum tamen elabi tempus præsenserat; & te
Divelli a nobis Regni fortuna timebat;
Cœptum ire in lacrimas: votis oneravimus astra,
Ne sinerent huic nos tristi succumbere legi:
Nam tua frena pati, tibi nos parere placebat;
Atque in deliciis fuerat, modo in urbe maneres,
Pro te nos vitamque ipsam ac bona cuncta pacisci:
Non etenim obliti fuimus tua maxima gesta,
Gesta per ætates semper memoranda futuras,
Queis tibi se totus Populi devinxerat Ordo;
Extollitque tuum cæli ad sublimia nomen:
Atque inter dubios æstus sic quisque dolebat,
Ut pupus, tenere amplexus dulcissima matris
Brachia, balbutit roseo indistinctius ore;
Et ludens faciem palpat, risuque colorat
Candidulas utrasque genas, & basia figit:
Sed dum perbelle tali lactatur amore,
Direptamque sibi videt, exclusamque parentem,

Spectat inops animi, ah pietas! sua lumina monstrat
Turgidula, & vultum tingit pallore loquaci;
Et gestu, & nutu, & lacrimis vocat undique matrem;
Accurritque gradu imbelli, atque abeuntis anhelans,
Spectantum eliciens fletus, vestigia calcat.
Hoc multos tacti cruciatu vivere menses,
Invisasque moras fuimus tolerare coacti.
Vota, preces renovabat amor; victumque querelis,
Ut nostro Cælum facile aspiraret amori;
Inque hos ante pias sensus prorupimus aras:
O qui res, rerum ipse Sator, regis, aspice quantis
Cingimur ærumnis! Cur das, & subtrahis uno
Tempore lætitiam? Cur nos modo seligis ALTHANN
Recturum, mox hunc adimis? Cur gaudia nobis
Largiris duranda parum? Concessa negasses
Dona, negaturus concessis longius urbem
Posse frui donis. Melius caruisse placebat,
Quam semel accepto spoliari munere. Nostro
Audaci parcas dicto, Pater alme; paternum
Quod geris ipse, movet supplex audacia pectus.
His summum precibus Numen contendimus una
Flectere. Et, oh! felix nostris allabitur oris
Nuncius. Hic cœtu quantis exceptus ab omni
Lætitiis! Fremuere via clamoribus: ecce
Jam rursus sedem hìc firmat, jam maximus ALTHANN
Susceptum regimen triplices producit in annos.
Ac, veluti puppis, medio circum acta profundo,
Molibus undarum, ac tetris mugitibus euri,
Sævitiaque poli, mortemque minantibus umbris,
Heu misera! heu ploranda! sui jam nescia, certum
Exitium expectans desperat mæsta salutem;
Nescio quo flatu interea compulsa secundo,
Aut tangit portum, aut proprius tetigisse videtur:
In plausum assurgunt nautæ, portumque salutant,
Inter commixtum lacrimis solamen obortis:
En portus, clamant; iterantque, en portus; & omnes
Huc

Huc vocem unanimes, huc dextram, huc lumina vertunt:
Sic nos post varios capimus solatia casus.
Quodque placet magis, ac nobis tanta omina firmat,
Prorsus id est, quod dum venit hac ex parte levamen;
Tuque, Vir insignis, Regni componere molem
Incipis; aspirantque tibi feliciter astra:
Nescio qua fati serie, quove ordine rerum,
Postquam versavit Mars implacabilis ensem,
Atque omnem Europæ fœdavit sanguine campum;
Suspirata diu, lætis circum obsita palmis,
Pax redeat terris, litesque & jurgia pulset,
Discordesque animos inter se fœdere nectat.
Nunc magna est belli eventus meminisse voluptas;
Quæ tulimus, tam multa placent incommoda, quorum
Nunc tandem fructum legimus; veteresque querelas,
Jamdudum effusas, mercede expellimus ista.
Qualis agit sese rigidi sub frigore cæli
Ante focum degens cum dulci uxore colonus,
Dum circum crepitans ruit alta mapalia grando,
Atque arent herbæ a glacie, & sine frondibus arbor
Per campos late perculsa sibilat aura;
Tunc parco vilem parat ille legumine mensam,
Natorumque famem fabellis sæpe relatis
Fallere, sæpe dolo curat differre sagaci.
At placidi Veris redeuntibus inde diebus,
Et juvenem prati ætatem, solesque benignos,
Atque suis messem spondentem præmia votis,
Aspicit; aspectu felix lætatur amico;
Atque novo reparat fastidia pristina lucro.
His tantis perge auspiciis, perge, inclyte Princeps,
Ad summam laudum metam, quas candida morum,
Virtutumque tibi spondet speciosa supellex.
Grandia nec tecum meditari desine: qualem
Tete ostendisti, talem te ostendere cura.
Hic maneas, quanto potes ipse, diutius; in spem
Erige Parthenopen; terrorem sontibus auge;
Et bene, quos videas, de te, Patriaque merentes,

Ut

Ut jam cæpisti, consuetis affice donis;
Imple Orbem fama; communi vive saluti.

Acceptissimum fuit Flaminii Carmen, & nostras tam blande irretivit aures, ut sua quisque nostrum peculiari ac repetita laude non contineret; & vere hunc diximus Genialem Diem esse appellandum. Ille modestiam suam, submisso vultu, temperabat; contendebatque officiosis verbis, id nos facere amoris abundantia.

Dum hæc agerentur, dies crevit altius; desiitque Sol radiis suis mansuescere. Nos jam refecti amœnissima statione, de discessu cogitavimus: & e terra vario gramine vestita erecti, Salve, diximus, Prædiolum, Phœbo Musisque carum: salvete vos, festivi Genii, hujus horti cultores, qui jacentes nos numine vestro dulcissime recreastis. His vocibus rus tandem relinquimus, &, actis iterum gratibus seni, qui, ut sibi jejuno consuleret, 1 *dapibus mensas onerabat inemtis*; certiorem eumdem facimus, ipsum nos humanitate sua, sua gratia ita obstrinxisse, ut bene factum numquam memoria fuisset delapsurum. Porro rogamus, ut animum suum aperiat; &, siquid velit, nobis mandet. Senex, composito intra modestiam vultu, sibi hoc unum velle, ait, ut eum amemus, rusque suum incolamus sæpius. Responsum dedimus, ut de hoc nullus dubitet; & sic te, diximus, & pauperculam familiam tuam Deus sospitet. Vale. Iterumque nos lento gradu domum recepimus.

1 *Virg. Georg. IV*

DE OPERIBUS
JOSEPHI AURELII DE JANUARIO
TESTIMONIA

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII, LIPSIENSIS,

Ad Josephum Aurelium de Januario

EPISTOLA,

Operi praefixa,

Quod inscribitur

RESPUBLICA JURISCONSULTORUM,

Denuo Lipsiae excuso

Ann. CIↃIↃCCXXXIII



JURECONSULTO INCOMPARABILI,

JOSEPHO AURELIO DE JANUARIO,

ADVOCATO NEAPOLITANO,

S. P. D.

FRIDERICUS OTTO

MENCKENIUS

J. U. D.

QUO nuper absentem me, nec forsan nisi nomine tibi cognitum, donaveras, en redit ad te doctissimus Liber tuus, etsi forma alia alioque habitu indutus. In quo tametsi nihil mihi esse juris vide-

batur, quippe tuo, & in futuras ætates omnes habituro laudum tuarum abundantissimam materiam; postulavit tamen a me partim ipsius libri, quo non legisse me umquam elegantiorem memini, præstantia; partim cognoscendi ejus desiderium publicum; partim etiam amplificandæ famæ tuæ, quo ferri me sentio, honestum studium; ut, vel inscio ac per modestiam fortassis renuente te, spe ineundæ a te gratiæ incerta, potestatem aliquam exercerem in Rempublicam tuam; &, velut in sublimi monumento, spectandum Germanis meis admirandumque præberem partum ingenii tui pulcherrimum. Et videbar mihi ejus rei, non minus pro gloria tua, quam pro commodis civium meorum, susceptæ, impetraturus a te veniam hoc promtiorem esse, quo certius ita futurum intelligis; ut, quæ continere se nescit intra unius fines Italiæ, jam, ruptis velut carceribus, in remotas dissitasque regiones fama ingenii ac doctrinæ tuæ exeat, & universam primum Germaniam occupet, deinde recto itinere ad cæteras Europæ cultioris gentes transeat. Nam, si recte te puto ex candidissimis moribus gentis tuæ, non tu ejus ingenii vir es, cui præ paternis ruribus sordeant exterorum alia omnia; aut qui turpe ac indecorum putes, ipsis innotescere Germanis nostris; nec, quos decrevimus tibi, ferre plausus & acclamationes possis. Est ea inde ab aliquo tempore Italiæ tuæ, florentissimæ terræ, nec nunc procul adeo remotæ ab antiquo decore fastigioque suo, præ finitimis multis disjunctisve nationibus laus singularis ac præcipua, quod, nulla loci, unde quis ortum duxit, aut quo sedem fortunarum fixit, ratione habita, ut quemque meritis conspicuum illustremque doctrina cernitis, ita amore dignum judicatis, ita in sinu vestro fovetis, ita consiliis opibusque adjuvatis, & tamquam civem aut colonum vestrum præconiis publicis & exquisitis laudibus ornatis. Quo fit, ut, cum alto supercilio res nostras reliquarum gentium non paucæ fastidiant, hisque stipites ac trunci putemur; per Italiam tuam suus Germano nomini honor constet, gloriamque nostram ab importunis

aliorum

aliorum obtrectationibus vindicetis; quin dignitatis & honoris vestri publicos nos sæpe arbitros ac judices poscatis. Atque hæc caussa est, cur nos, a moroso illo & intolerabili aliorum fastu alienissimi, cum nec in hoste vituperare virtutem ausi umquam simus, in vos præsertim, optimum nobisque amicissimum genus hominum, oculis animisque convertamur; nec quidquam existimationi vestræ a nobis immineat periculi, sed liberale Musis vestris, tamquam arctissimo cognationis vinculo nobiscum conjunctis, præbeamus hospitium; & in humeris vestris repositam salutem literarum existimemus; felicissimosque in reducendo veteris Latii splendore conatus vestros collaudemus publice; nec collaudemus tantum, sed in exemplum etiam, quod imitentur sedulo, proponamus Germanis nostris. Quæ cum ita sint, a virtute gentis tuæ degenerasse te unum, hoc minus arbitror, quo certius, quam sis ingenio polito & ad urbanitatem omnem composito, ipse testatur aureus Libellus tuus, in quo cum velut pro rostris constitutus judex omnium seculorum terrarumque Jureconsultos vocaveris in jus tuum, & de his libere dixeris sententiam; perquam honorifice a te dimissos Germanos nostros; aut, siquos ex his venia vix dignos judicaveras, hos molli saltem brachio objurgatos, & magis non laudatos, quam vituperatos, sunt, qui existimant. Denique cum ipse carere nos eruditissimo libro tuo nolueris, quin de prelo adhuc sudantem, & vix cognitum tuis, statim commigrare Lipsiam, nostrumque subire tribunal jusseris; quid aliud ex eo colligam, quam invidere te nobis tantæ doctrinæ tuæ usum nolle; cupilissimumque assensus nostri esse; forsan etiam a judicio nostro aliquam famæ tuæ accessionem expectare? Sunt hæc ita comparata, ut, nisi me prorsus fallat opinio a te, cive Italo, hoc est, summæ viro humanitatis ac prudentiæ, facillime impetrare mihi operis jam suscepti possint veniam. Alia supersunt, quæ gratiam laudemque mihi non a Germanis tantum, sed ab eruditis ad unum omnibus, ad quos demum liber iste tuus pervenerit, certissimam promittunt. Rempublicam, non

Italorum, non Neapolitanæ gentis, sed Jureconsultorum, scribis, amplissimam profecto, nec ullis locorum terminis circumscribendam. Non sola Italia aut olim habuit, aut nunc habet Jurisperitos. Pertinet ad complures gentes, maxime ad Germanos, ea gloria; &, siqua in re alia, certe in doctrina Legum, æquamus famam vestram. Non ita olim forsan: sed factum est postea, nescio, culpane magis, an fato aliquo vestro, ut, quam destituisse vos videbamini, Germani occupasse spartam dicerentur. Et, quantum in nobis, eam laudem tuemur ad hunc diem; &, si finitimis Belgis sanguini Germano associemur, reviviscere inter nos ætatem Justinianeam putes. Non hæc præpostero quodam patriæ amore; sed vera scribo; &, si recentiorum magis, quam veterum Jurisconsultorum Rempublicam scripsisses, nominandi tibi primo loco Heroes Germani fuissent. Jam, pertinere hæc ad eos omnium maxime, crede, qui ad dignitatem veterum quam proxime accedunt. At rabulis hæc forsan & causidicorum fæci a te scripta dicis? Neque vero minus fœcundus horum in Germania proventus est; nec eo nomine vobis palmam cedimus. Vix numerum eorum ineas; adeo Curiæ omnes, adeo Fora & Senacula omnia insano horum latronum murmure personant. Quot ubi tu de Jure loquentes audias, ingemisces Arti tuæ, crudelissime tractatæ; quin pulsam finibus nostris justitiam, ignavum Jurisprudentiæ nomen putabis. Et multum falleris, si ab his nobilissimi laboris tui gratam expectas. Diris te illi devovebunt cum inutili tua Jurisprudentia; & manu ostentantes panem, ereptum clientulis, ridebunt esurientem Rempublicam tuam. Vah bonis literis, væh sacræ Themidi, væh nobis omnibus, qui Deam hanc reverenter colimus, si furor iste pestilentissimorum hominum per Scholas nostras aut per Fora principatum olim obtineat; & ab horum unice arbitrio jus fasque nostrum pendeat. Sed ita nos fata nostra amant, ut robur aliquod supersit armis nostris; quo debellari fortiter hæc monstra possint, & radicitus extirpari hæc quantumvis inveterata barbaries. Quod, etsi labo-

laboris summi, non desperatum tamen opus est; & purgatum hoc Augiæ stabulum, ita certissime auguror, ætas postera gaudebit. Vides, quam nihil dissimulem: sed poscit id honor gentis meæ. Plura accipe; quæ tu ipse poscis. Invidemus Italiæ tuæ civem talem, quem unum opponere jam turmis Germanorum potest. Habet illa, cur auspicato te natum sidere putet post tot seculorum tenebras. Habet jam, cur in spem magnam sese erigat, & brevi reditura per te speret Alciatorum Averanorumque tempora. Qui si pergas ita propitias tibi Musas habere, & incumbere in gloriam gentis tuæ, & Romanæ Jurisprudentiæ restituere nitorem pristinum; non erit postea, cur præ Italis tuis efferant se multum Germani nostri. Sane, quæ inter gentem utramque erit, mire provehet artem nostram, & in pudorem conjiciet ignavum vulgus, æmulatio. Et tamen tenerrime te amo, & crucior desiderio videndi tui, & in os laudandi. Malim ego unam Rempublicam tuam, quam Bartolos sexcentos, legere: in qua si tamquam in speculo intueri licet ingenium tuum, jam, quem conferam, quem anteponam tibi, non invenio. Tui similes vix ætas præsens adhuc multos protulit: certe inter paucissimos, qui tanto operi sufficerent, unus tu fuisti, qui calcatam nulli adires viam tandem. Est hic torpor seculi, & assuetudo turpis ineptiarum. Dignus tu, qui in Republica Jureconsultorum Dictator aut supremus Judex constituare. Una hæc nostrorum hominum, & quid ni tuorum? vox est; &, si in suffragia eatur, neminem habebis non plaudentem tibi. Adeo nihil est in doctissimo libello tuo, quod non placeat mirifice, & supra vulgarem sensum sit longissime. Rara hæc Scriptoris felicitas, probari ab omnibus, & in omnium amorem atque gratiam venire. Hac præsertim tempestate, qua nemo est, qui non suas magis, quam alienas laudes consectetur, & laboris nostri frustra ab eruditis merces expectatur. Noveras scilicet, si unum id ageres, ut doceres lectores tuos, & severa fronte ad interpretanda Jura te converteres, habiturum te ex gente nostra,

ſtra, ſi non ſuperiores, certe pares aliquos. Itaque callido artificio, urbanitate gravitatem temperaſti; & id, quod ſuave ac jucundum eſt, in horrida dumeta legum intuliſti; ut quæ fuerat rugoſa nuper, & auſtero vultu inceſſerat, amabilis per te facta ſit & venuſta Jurisprudentia. Quem enim non argumenti ſtatim, in quo verſaris, partim novitas alliciat, partim elegantia delectet? Aut quis tam moroſus eſt noſtrum, qui incognitam huc uſque, & tot pulcherrima ſpectacula præbentem, Rempublicam luſtrare, aut confabulationibus tam docte auditorem ſe dare omnis ævi Jureconſultis nolit? Adhæc, in ipſa Reipublicæ ſacraria & intimos receſſus intromiſſus, quis non majeſtatem & ſplendorem loci admiretur; & delatum ſe in ipſos hortos Venerum, aut longius progreſſus, conſtitutum in medio conſortio Deorum putet, nec adſciſci hic in Civitatem cupiat? Quis vidiſſe ſe umquam pulchrius quid elegantiſſimis illis, artificioſiſſimeque pictis, & ad vivum expreſſis prorſus, veterum Jureconſultorum imaginibus, & exquiſitis earum coloribus, dicat, nec in his omnibus dexrerrimi manum artificis agnoſcat? Denique, quem molliſſimi cantus illi, haud extra hanc Rempublicam auditi umquam, nec niſi Ovidianis citharis accomodati, in quibus omnem ingenii tui vim expertus, omne laudum & præconiorum ſuperaſſe genus videris; non ita demulceant dulcedine ac ſuavitate ſua, non ita extra ſe rapiant totum, ut pedem referre ex amœniſſima hac regione neſciat; &, quaſi alligatus his deliciis, æternum ſibi in Jureconſultorum Republica domicilium cooptet? Ego ſane cum per alia negotia pervolutare magis, quam perlegere libros novos, ſæpiſſime nec dignos lectione, ſoleam; quam primum ex Italia ad me venit Reſpublica tua, ita ſtatim affixus ei hæſi, ita manibus meis tenui; ut in legenda ea dies noctesque integras conſumſerim; & non tam legere, quam devorare librum viſus ſim. Poſtea ad ejus lectionem vice plus una redii, nec dies abiit, quo non amœnitate loci invitatus, jucundiſſimum in Republica tua ſeceſſum habuerim. Et, quoties

ties me contuli in hæc vireta ; toties exosculatus sum absentem te , cujus quippe factum humanitate sit , ut , quæ reclusa civium meorum nulli esset , uni mihi ex omnibus huc via pateret . Quem nuper privatum mihi, nunc publicum feci ejus voluptatis usum ; & , quod partim vehementer exposcebat amor patriæ ; partim tu ipse , honore hoc dignissimus , jubebas , id quidem a Menckenio , in tuis futuro semper , jam vides præstitum. Age , dignissimos jam tanti operis tamque excellentis doctrinæ tuæ fructus collige ; & e longinquo acclamantes Musis tuis , & certantes inter se plausibus , Germanos audi . Habet & nostra suffragatio ad nominis tui immortalitatem pondus aliquod ; nec , quæ scribimus jam in laudes tuas , ex merito tuo scripta , sera dubitabit posteritas . Tu vero , quod ingressus es nuper , iter nobile honorum atque gloriæ , prosequere ; idque tibi datum negotii puta , ut , quæ maximum in te firmamentum habet , porro , nequissimorum hominum sordibus purgata , magis in dies per te floreat Respublica Jureconsultorum. Vale , præstantissime Vir , resque tuas feliciter in posterum , & ex orbis eruditi voto , age . Dabam Lipsiæ Cal. VI Nov. Ann. CIƆIƆCCXXXIII.

EX NOVIS ACTIS

ERUDITORUM

ANN. CIↃIↃCCXXXIV

LIPSIAE PUBLICATIS

Judicium, quod extat pag. 21. ad 27.

DE REPUBLICA JURISCONSULTORUM.



JOSEPHI AURELII

DE JANUARIO,

ADVOCATI NEAPOLITANI,

RESPUBLICA JURISCONSULTORUM.

Neapoli, typis Felicis Muscæ, CIↃIↃCCXXXI 4.

Alph. 2. pl. 7.

JURISPRUDENTIÆ Civilis, & JCtorum Historia tantum nostra ætate consecuta est plausum, ut illi ne videantur quidem inter JCtos locum sibi vindicare posse, qui in ea excolenda data opera non fuerunt occupati.

pati . Non unum tamen impedimentum eſt , quo minus omnes, qui inter Juriſprudentiæ cultores ſuum profitentur nomen , ea , qua par eſt , induſtria litterariam Juris perſequantur hiſtoriam . Neque dubium , quin multi ſtudii hujus, quod criticis, quæ vocantur, carere nequit obſervationibus , ſeveritate ab ejus cultu deterreantur . Quod quidem cum ita ſeſe habeat, non poſſumus non doctiſſimo viro juveni, *Joſepho Aurelio de Januario*, vehementer plaudere : qui in *Republica* ſua *Juriſconſultorum*, cujus novam editionem , ampliſſima ad Cl. Auctorem epiſtola ornatam , nuper demum Lipſiæ *Fridericus Otto Menckenius*, Collega noſter, in gratiam civium ſuorum curavit , id egit ſedulo , ut methodo , quæ ob ſuavitatem ſummam lectionis non poteſt non redimere faſtidium , Romanæ Juriſprudentiæ illuminet hiſtoriam . Inſtituto enim ſuo tam ſatisfecit egregie, ut dudum e litteraria Juris hiſtoria cognitis novitatem , novis dignitatem , obſoletis nitorem, obſcuris lumen , faſtiditis gratiam mira ſuavitate atque facilitate conciliarit . Sibi fingit Cl. Auctor in Ægæo longe poſt Cycladas Inſulam, ubi Rempublicam optime conſtitutam habent vita functi Juriſconſulti , quibus ſingulari fato etiam poſt obitum datum eſt ſapere . Ad eam iter facientes *J. Genutium*, *T. Numicium* , *L. Pinarium* , & *C. Nautium* ſiſtit . Qui quidem , ſicut eo conſilio iter ingrediuntur, ut priſtinam Juriſprudentiæ Romanæ conditionem ſibi cognitam reddant atque perſpectam ; ſic etiam in itinere de rebus huc facientibus ſermones jucundos miſcent . In Republica vero JCtorum, quæ notatu digna geruntur , obſervant : & ipſos JCtos conveniunt , cupidi eorum de JCtorum & Juriſprudentiæ ratione judicium explorandi . Cum hac methodo doctiſs. Auctor Obſervationes ſuas , litterariam Juris Hiſtoriam illuſtrantes, recenſeat ; nemo non intelligit , numquam illi defuiſſe occaſionem , de rebus utiliſſimis commode diſſerendi, atque efficiendi, ut, quæ non ſine cura ſcripſit , non ſine voluptate legantur . Utiliſſimas etiam Adnotationes ſuas Carminibus diſtinxit , quæ uti non-

num-

numquam argumenti se commendant dignitate, sic tantam præseferunt facilitatem atque elegantiam, ut doctissimus *de Januario* ipsum referre *Catullum* non immerito dicatur. Difficile admodum, nec instituto nostro esset conveniens, singulas commemorare Observationes, quæ huic Commentario decus conciliant atque ornamentum. Aliquot igitur exempli loco tantum commemorabimus, ad ipsius elegantissimi operis lectionem eos, qui hæc nostra legunt, invitaturi. In itinere, uti fingere placet *Cl. de Januario*, *Genutius* cum sociis suis *M. Minutium* convenit, atque cum eodem de nævis JCtorum disserit. *Minutius*, *Scriptorum*, inquit, *Juris vitia tria sunt*, *aut quod minute nimis ac inutiliter; aut quod plus æquo subtiliter ac obscure*; *aut denique quod barbare ac involute res pertractent*. Hoc ipsum *Minutii* judicium occasionem aperit Cl. Auctori amplissimam, de hisce Jurisprudentiæ Romanæ, ejusque Interpretum nævis, egregias in medium proferendi observationes. Quemadmodum autem Cl. Auctor illis se profitetur infensissimum, qui, neglecto historiarum, & humaniorum litterarum studio, summos se profitentur JCtos; sic ex instituto illos JCtorum adnotavit errores, qui ex harum litterarum ignorantia duxere originem. Ne exemplum desit, ad *p.* 104. provocamus. Ibi Bartolus, inquit, *parum abest*, *quin juret*, *a Tiberio Imperatore Tiberim fluvium appellatum*. Castrensis, *nullo perturbatus putidissimi mendacii metu*, *ait*, *ab Antonio Triumviro occisum Papinianum*: Odofredus *est præ cæteris suavissimus*, *testaturque*, *eadem navi Æneam & Romulum in Italiam adventasse*: Accursius, *felicissimus temporum conciliator*, *ridicule monet*, *Ulpiani ætate Christum natum adhuc non fuisse*; *vitamque Justinianum ante Christum vixisse*; *nec alia de caussa usum non esse æra Christiana*: Jason *acutiore invento superbus*, *quadam vocis affinitate captus*, *scribit a Numa Pompilio dictum esse Numum*. Ex quo doctiss. Auctor usque ad *p.* 141. ea persecutus est, quæ in itinere ad Rempublicam JCtorum notatu digna evenere; ad ipsam Rempublicam JCtorum describendam se confert. Ut constet, quam sibi fingat Cl.

Cl. *de Januario* Rempublicam ; ipsa ejus verba proferemus, quibus summatim ejus rationem indicat. *Populum*, inquit, *omnem divisum novimus in Senatorium, Equestrem, Plebejumque Ordinem. Senatoria dignitate Primores Reipublicæ fruebantur, veteres illi egregii Jurisperiti, a* Sex. Papirio *ad* Modestinum *usque; cujus ætate retro collapsa jam Jurisprudentia, obmutescere JCtorum oracula cœpere. Inter Equites numerabantur, qui, post extinctam JCtorum successionem, nudam publice docendi ac profitendi jus provinciam Romæ, Constantinopoli, ac Beryti suscepere. Hisque adjungebantur, qui* ab Andrea Alciato *ad nostram usque tempestatem, ingenio & cultu bonarum artium, interpretandi munus non sine elegantia ac lepore obierunt. Plebs denique* Accursium, Bartolum, *& qui eos secuti sunt, concludebat: sed hi honestiori loco habiti, neque observantia Optimatum, neque honore Magistratus defraudati sunt; multis tamen ægre id ferentibus.* Non ita multo post refert, *Domitium Ulpianum, & Æmilium Papinianum* tum in JCtorum Republica Consules fuisse; *Jacobum Cujacium* Prætorem; Censorem e patriciis *M. Porcium Catonem*, e plebejis *Martinum Fani*; & Senatus Principem *Servium Sulpicium*. Una illos enumerat, qui vel cum *Cujacio* Prætoris, vel cum *Martino Fani* Censoris dignitatem ambierunt. Atque hoc modo occasionem sibi aperit de ipso *Duareno*, *Donello*, *Hotomanno*, *Franc. Balduino*, *Joanne Roberto Aurelianensi*, *Irnerio*, *Pepone*, *Joanne Imola*, *Bartolo*, aliisque JCtis, opinionibusque cuique eorum singularibus, observationes suas proferendi in medium. Quemadmodum vero doctiss. Auctor hanc sibi legem scripsit, ut methodi varietate Scripto suo conciliaret nitorem; sic religioni sibi non ducit, narrationis seriem nonnumquam interrumpere. Numquam illi hoc modo deest occasio de diversis disserendi argumentis. Quod si enim alia desit, aliquem ex iter facientibus de hac, vel illa materia JCtos in Republica sua disputantes audivisse perhibet. Ita v. g. a *p.* 156. ad 189. aliquot JCtos de Philosophiæ in Jurisprudentia usu

confa-

confabulantes sistit . Et *Aristotelici* , & *Stoici* , & *Cartesiani* Philosophi hic Cl. Auctori dicendi præbent ansam. De veterum JCtorum Philosophia etiam verba facit : atque , uti multis eorum egregiam Philosophiæ peritiam utique tribuendam esse concedit ; sic *Zasium* , *Alciatum*, *Ficardum* , & alios JCtos ridet , qui ineptis plane moti argumentis , veterum JCtorum in Philosophia celebrant peritiam . Eadem occasione *Everardum Ottonem* reprehendit , quem *Observatorem splendide minutum morum & studiorum Papiniani* appellat . Is enim ex *leg. 64. de Evict.* eximiam *Papiniani* Matheseos scientiam probare conatus est . *P.* 254. incipit de JCtis plagiariis doctissimas proferre adnotationes . Commemorat *Franciscum Duarenum* , Gallum , Censoribus auctorem fuisse , ut in JCtos plagiarios inquirerent , quo e Republica exterminarentur ; veterumque JCtorum famæ atque nominis celebritati consuleretur : Non enim consentaneum esse , ut in JCtorum Republica , veterum JCtorum inventis recentiores superbiant . Ipsam deinceps a Censoribus institutam recenset inquisitionem ; atque hac occasione multis adnotatis , Litterariam de Plagiariis Historiam illuminat . Ita v. g. observat *Baldum* , *Jacobi Paliarensis* cogitata , sua fecisse : *Bartolum*, *Francisci Tigrini* Pisani superbire Adnotationibus : *Alexandrum* , *Joannis Imolæ* expilasse scripta : *Janum Vincentium Gravinam* omnem suam famam *Jacobi Gothofredi* debere eruditioni : *Vinnium* , celebrem Institutionum interpretem , pleraque *Gerardi Tuningii* Scriptis referre accepta ; neque ipsum *Cujacium* ab omni furto litterario posse absolvi . Tanta fuit , ut Cl. Auctor tradit , in hujus controversiæ disquisitione veterum JCtorum auctoritas , ut post multas disputationes plerique consenserint , Plagiariis in JCtorum Republica locum non esse concedendum . Id autem dum ageretur , ut vi hujus decreti ex hac Republica ejicerentur JCti Plagiarii , repertum est , ipsum , *Duarenum* præcipuum hujus decreti auctorem , ex *Alberici Gentilis* Commentariis numero multas transcripsisse observationes. Furto igitur suo litterario detecto , ipse *Duarenus* animum muta-

mutavit; atque id omni egit industria, ut Edictum de ejiciendis e JCtorum Republica Plagiariis nullo loco haberetur. Postquam de plagiariis JCtis Cl. Auctor disseruit; de Ludis Secularibus, in Republica JCtorum institutis, verba facit, qui ipsi ansam suppeditant, de eximio Poeseos in Jurisprudentia usu disserendi. Hoc ipsum argumentum singulari industria persequitur: atque ut ipse merito atque optimo jure inter Poetas JCtos locum sibi vindicat; sic Jurisprudentiæ peritiam cum Poetica facultate hoc ipso in Commentario egregie conjunxit. Videlicet octo plagulis veterem Romanorum Νομοθεσίαν tam eleganter versibus expressit; ut non possit non ab his ipsis cum voluptate legi, qui Jurisprudentiæ Civili suam non consecrarunt operam. Ubi elegantissimum de Juribus Reipublicæ Romanæ Poema desinit, ibi incipit disputationis de *Triboniani* fama in Republica JCtorum institutæ narratio. Summa hujus disputationis hæc est: *Servius Sulpicius Tribonianum* solenni coram Senatu habita Oratione accusat, quod in veterum JCtorum sacros cineres piosque manes improbe sævierit; atque una cum illorum monumentis nomen famamque eorum nefarie extinxerit. Plerique JCti consentiunt, *Tribonianum* e Republica JCtorum esse ejiciendum. Sed *Cynus* Pistoriensis, Tribunus Plebis, obstitit huic sententiæ, & *Tribonianum* defendit. Ad populum igitur res delata est; cujus erat vel Tribuni intercessionem, vel Senatus auctoritatem comprobare. Non hic exponitur, quis victor e certamine discesserit, *Tribonianus*, an ingens manus hostium? Cum enim nondum finita esset hæc controversia, *Genutius* cum itineris sociis e Republica JCtorum abiit, atque in patriam reversus est. Ex iis, quæ modo protulimus, de ratione hujus, quem præ manibus habemus, Commentarii summatim minimum poterit constare. Plura igitur de eodem verba non facimus. Cum autem elegantissimi versus, huic Commentario hinc inde inserti, summum universo Operi concilient ornatum; temperare nobis non possumus, quin aliquot versus speciminis loco hic exhibeamus. Illos autem exhibemus,

qui primum sese nobis obtulerunt; & quibus Juris studiosorum, qui majorem cultus corporis, quam eruditionis rationem habent, characterem scite expressit ac venuste: Ita vero sese habent.

Nunc venio ad quosdam Juvenes: hi ostendere sese
Pulchros, & plenos nobilitatis amant.
Hos ne tange; cave, multo sine honore salutes;
Quodve roges, humili non sine voce roga.
Picta velut minio illorum resplendet imago;
Atque viri formæ plus muliebris habent.
Omne locant studium, quo belle incedere possint:
Brachia, crura, pedes, os, caput, arte movent.
Albescit niveo mendax coma pulvere sparsa:
Emicat alterno barba recisa die.
Vestis it ex humeris formas imitata recentes,
Sive, o Galle, tuas, sive, Britanne, tuas.
Pileus haud geritur, ni longo advectus ab Orbe,
Et ni forte novo more revinctus eat.
Quæruntur missa a Batavis subtegmina lini:
Gemmato digitos annulus orbe premit:
Et crepidæ est sua cura, manu quæ suta sagaci,
Ne qua pelle super ruga sit ulla, vetat.
Machina, distinguens animatis motibus horas,
Præsto est, ut, quotanam lapsa sit hora, sciant.
Ne desit naso contriti pulveris usus,
Hunc ex argento capsula parva gerit;
Capsula, quæ nimio sit reddita pumice levis,
Cui ductum ex omni sit bene parte latus;
Vel testudineo quæ sit de cortice facta,
Et micet argenti desuper aucta notis.
Ah misera! ah! quanto pascis te errore, Juventus:
Respuit has veneres blanditiasque Forum.
Aspice Majorum vestigia? Dic, ubi luxus?
Dic, ubi fœmineus tantus in ore lepos?
Ludimus? Anne Foro tractamus seria? Nilne
Discrepat a scenis Curia, Jura jocis?
Sed quid ego? Mala difficile est evellere, quando
Cœperunt speciem jam retinere boni.

JO-

JOSEPHO AURELIO

DE JANUARIO

J. C. CLARISSIMO

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS

S. P. D.

SEro accepi, acceptum serius significo librum tuum de Republica Jurisconsultorum, diu exoptatum, atque avidissime a me lectum. Quod me illo donatum volueris, magnificentiam tuam miratus sum: nihil enim egeram, quo tua erga me beneficia allicerem. Uberiores propterea gratias ago pro hujusmodi dono; quo nihil gratius contingere mihi poterat. Quæ vero fuerit mea de tuo libro sententia, paucis accipe. Ingens tua laus est, tanta eruditione argumentum tuum exornasse, neque illa vulgari, aut historiam tantummodo Jurisprudentiæ complexa; sed quæ in amplissimos tum Græcorum tum Latinorum ritus excurrit, & Scriptorum optima habet. Ad hæc, precium operis mirifice augent judicia tua æque de vetustis ac de recentioribus Jurisconsultis; quæ hominem produnt jamdudum in Jurisprudentiæ penetralia ingressum. Attamen, quod super omnia me in libro hoc legendo oblectatione mira affecit, stilus ille tuus fuit, quam Latinus! quam elegans! Bone Deus! Videbar mihi legere Plautum, aut Terentium soluta oratione loquentes: & siquando in carmina erumpebas, Catullianam, aut Propertianam sentire mihi videbar elegantiam. Nihilo tamen secius unum superest, quod me præ cæteris in stuporem conjecit; nempe audere te tanta potuisse ea ætate, qua reliqui scire incipiunt. Equidem Neapolitana ingenia maximi semper feci, a na-

tura videlicet ad grandia nata ; & quibus freno potius, quam calcaribus ſit opus . Tu ſane , quid ea poſſint , aperuiſti . Proinde tibi ſummopere gratulor ; & ſi quidem hortamentis indiges, auctor tibi ſum , ut jam exploratas ingenii tui vires ad alia argumenta transferas ; quibus & nomini tuo major gloria , & Reipublicæ litterariæ Italorum novum decus accedat . Mihi ſane, ſiquando de Juriſprudentiæ Defectibus agendum erit , non excidet elegantiſſimi Operis tui mentionem facere , & Auctoris meritum commendare: quippe hanc provinciam meditor, &, ſi vita ſupererit, tentabo . Me felicem , ſi tecum coram loqui, teque in ea adeo verſatum conſulere liceret ! Sed quando tantum cælum nos dividit; rogatum te ſaltem velim, ut me tui admiratorem in tuorum quoque Amicorum cœtum pro tua humanitate referas . Vale .

IN BIBLIOTHECA JURIS
SELECTA
BURCARDI GOTTHELF STUVII,

Emendata, & locupletata a Christiano Gottlieb Buder. Jenæ 1743.

In supplendis pag. ante Indicem hæc habentur:

Ad cap. X §. III p. 346. referendus omnino elegantissimus liber inscriptus, Josephi Aurelii De Januario, Advocati Neapolitani, Respublica Jurisconsultorum, ex editione altera ad exemplum Neapolitanum, quod in 4. prodiit expressa, addita Epistola cultissima Ill. Frid. Ottonis Menckenii stilo scripta, Lypsiæ 1733. 8. quo de vita, moribus, studiis, jura tradendi, & interpretandi ratione veterum & recentium Jurisconsultorum amœnæ sententiæ dicuntur.

In nuperrima Præfatione adjecta Operi

JO: GOTTL. HEINECCII

Cui titulus, Fundamenta Stili Cultioris,

Edito Lipsiæ Ann. CIƆIƆCCXXXIX hæc habentur.

Part. II. cap. 4. commendanda Josephi Aurelii De Januario Respublica JCtorum, cujus editio secunda prodiit Lipsiæ CIƆIƆCCXXXIII

JO: GOTTL. HEINECCIUS

In Præfatione ad JO. JAC. VVISENBACHII

Emblemata *Triboniani*,

Et JOANNIS WYBO Tribonianum ab Emblematib. Vuissenbachii liberatum.

Edit. Halæ CIƆIƆCCXXXVI pag. XIII

ERat tum HOTOMANI ea fama ac celebritas, ut ad ejus scholas maximus undique concursus fieret: adeoque ei non deerat occasio, suam hanc de jure Justinianeo sententiam auditoribus quamplurimis instillandi. *Odium enim*, inquit JOSEPHUS AURELIUS DE JANUARIO, quo in Tribonianum ferebatur, nunquam exeuit Hotomanus; & in hac Republica illum exagitare omni vel improbo tentabat conatu. Conveniebat quotidie & domi, & in Foro, ut sibi visum est opportunius, vetustos illos Jureconsultos, ingentia Romanæ olim ornamenta Reipublicæ, qui ante Augusti Imperium, aut paullo post floruere. Hos eloquentia comtissima, qua pollebat plurimum, quamque a Tullio sibi familiarissimo, hauserat uberrime, hortabatur, acuebat, impellebatque, ut pœnas sumerent de Triboniano, homine nequissimo; qui quidquid ab ipsis fuerat perfectum ingenio, industria elaboratum, improbe ausus esset Orbi subtrahere, & *posteris furari*. Qua quidem fabula, ad LUCIANI exemplum efficta, nihil aliud innuere voluisse videtur Vir doctissimus, quam serio, & omni animi contentione id egisse HOTOMANUM, ut omnes, quibuscum versabatur quotidie, insigni illo, quod ipse adversus Tribonianum conceperat, odio imbueret.

JACO.

JACOBUS FACCIOLATUS

JOANNI ANTONIO Sergio, Jureconsulto,

S. P. D.

FERIAS AUTUMNALES viri doctissimi JOSEPHI AURELII DE JANUARIO tandem accepi, statimque avidissime legi. Nunc in nostrorum Professorum manibus sunt; qui summo consensu affirmant, plurima in iis esse subtiliter excogitata, eximioque artificio digesta & exornata. Ego certe in tanta librorum multitudine, qui quotidie exeunt, nullum vidi, qui me magis tenuerit; nisi forte incomparabilis illa JURISCONSULTORUM RESPUBLICA, quæ jam veterum Scriptorum Operibus in celeberrima quavis Europæ Bibliotheca sociatur, & cum dignitate assidet. Sed cui ista? Scilicet SERGIO cultissimi ingenii viro, qui singularem AURELII nostri in omni litterarum genere præstantiam jamdiu novit, & in Dissertatione CARMINIBUS ejus præmissa facundissime explicuit. Non eget aliorum laudibus qui a te laudatus est. Fac ei meo nomine etiam atque etiam gratuleris, salutemque plurimam nuncies. Tibi vero, mi SERGI, gratias ago atque habeo, quas complecti verbis & animo possum; redditurus etiam, siquando tempus & fortuna ferat, ut opera nostra uti velis. Vale. Patav. VI Id. Mart. CIↃIↃCCLII

LE JOURNAL
DES
SCAVANS
POUR
L' Année M. DCC.XLVI.

AVRIL.

A PARIS

Chez G. F. QUILLAU, Pere, Imprimeur : Juré-Libraire de l' Univerfité, rue Galande, à l' Annunciation.

M. DCC.XLVI

AVEC PRIVILEGE DU ROY.

JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO

Advocati Neapolitani Respublica Jurisconsultorum. Excudebat Felix Musca, Neapoli, anno 1731. publica auctoritate.

C'est-à-dire : *La République des Jurisconsultes*, par Joseph Aurele Jennaro *Avocat Napolitain*, imprimée *chez* Felix Musca 1731., 420. pag.

Pag. 580.

CE titre n' indique qu' imparfaitement le dessein de l'Auteur, & les matiéres, qui sont traitées dans ce Livre. M. Jennaro se fait un plaisir au commencement de son Ouvrage de tenir en suspend le Lecteur sur les vues, qu'il a eues en le composant. Il débute par tourner en ridicules les Ecrivains, qui dans de longues Préfaces annoncent avec beaucoup de pompe le sujet de leurs Ouvrages, & promettent souvent plus qu' ils ne sont en état de tenir. Après avoir lu ce Livre, il nous a paru, que le principal objet de l' Auteur étoit de donner au Public les Observations, qu'il a faites sur l'Etude de la Jurisprudence, & de critiquer les Ouvrages des plus fameux Jurisconsultes. M. J. homme de beaucoup d'esprit, qui joint à une conoissance profonde de la Jurisprudence une érudition variée & un goût délicat pour les belles Lettres, a senti, qu' une simple exposition de ses remarques auroit pu ennuyer le Lecteur. Il a donc cru devoir répandre quelqu'amenité sur des matiéres peu agréables par elles-mêmes; c' est ce qu'il a heureusement exécuté par le moyen d' une fiction ingénieuse, qui lui

a don-

a donné occasion d'étaler toutes les richesses de son imagination, & de mettre en usage son talent pour la Poësie, & les conoissances, qu'il a acquises d'une Littérature extrêmement variée.

Il dit que se promenant un jour dans la place publique avec T. Numicius & L. Pinarius Avocats, & ses intimes amis, il vit de loin C. Nautius, leur ami comun, qui accouroit à eux avec l'enthousiasme d'un homme, qui vient d'avoir une révélation, & qui est presse de communiquer à ses amis une importante découverte. Nautius leur dit, qu'il avoit apris que les Jurisconsultes sont relegués après leur mort dans uue Isle de la Mer Ægée, située au delà des Cyclades; que là ils vivent dans un Gouvernement Républicain, conservant les mêmes inclinations, le même caractere d'esprit, & les mêmes goûts, qu'ils avoient eu pendant leur vie. Il leur propose, au lieu de se fatiguer par la lecture de volumes immenses, d'aller trouver les Jurisconsultes eux-mêmes, pour s'instruire, en conversant avec eux, de ce que la Jurisprudence a de plus profond. Il leur fait sentir les avantages de cette méthode d'apprendre le droit sur celles de la méditation & de la lecture. On ne délibére pas un instant : la passion, que ces jeunes Avocats ont pour l'étude du Droit, ne leur permet pas d'hésiter sur le parti, qu'ils ont à prendre. On prépare tout pour le voyage : on s'embarque, & on part avec un vent favorable.

Les avantures de nos Voyageurs & les différentes rencontres, qu'il font de plusieurs habiles Jurisconsultes, donnent lieu à de sçavantes conversations, où l'on agite diverses questions sur la Jurisprudence, & où l'Auteur expose avec art les remarques, qu'il a faites en étudiant cette Science. Pour rendre ses récits plus agréables & plus intéressans, l'Auteur peint les beautés de la Nature, les mœurs & les situations des personnes, qui se trouvent sur son passage. Il exprime avec force le divers caracteres des Jurisconsultes, qui composent la République de son Isle; il raconte leurs querelles; il peint

leurs

leurs passions : on les voit avec plaisir se reprocher mutuellement leur plagiat, leur vanité, leur ignorance, & tous les défauts, qui régnent dans leurs Ecrits.

Quoique le but principal de l'Auteur soit de faire part au Public de ses Observations sur les Ouvrages des Jurisconsultes, il ne se borne pas aux seules matières de Droit : il traite aussi plusieurs sujets de la belle Littérature : il fait naître des conversations sur la Philosophie & les opinions des différentes Sectes de Philosophes. Il place à propos plusieurs piéces de Vers de sa composition, qui en égayant l'imagination des Lecteurs, montrent en même tems son talent pour la Poësie. Ses Elégies sont remplies de traits satyriques, & il paroît par la tournure de tout l'Ouvrage, que l'esprit de l'Auteur est porté à la satyre. Son style est pur, élégant, par-tout également soutenu, & travaillé avec soin. Il exprime avec clarté & avec facilité les choses les plus difficiles. On pourroit lui reprocher de s'être arrêté à des détails peu nobles & même puériles dans quelques-unes de ses Elégies. Telle est la description d'un mauvais souper, qu'il fit un jour avec ses Compagnons de voyage dans un Cabaret, où il introduit un yvrogne, qui après s'être enyvré vomit, & rend le lieu insupportable par toutes les suites de l'yvresse. On pourroit encore mettre dans ce nombre l'Elégie, où Nautius regrette le tems, qu'il a employé à l'étude de la Philosophie Péripatéticienne. L'Auteur y décrit dans un trop grand détail les petits chagrins & l'ennui d'un Ecolier, que l'on force à étudier les questions frivoles, qui sont particulieres à cette Secte de Philosophes.

Mais pour mettre le Lecteur en état de juger par lui-même de la maniere, dont cet Ouvrage est exécuté, nous allons suivre M. Jennaro dans plusieurs circonstances de son voyage, & rapporter une partie de ses Observations critiques. Le Vaisseau étoit à peine à une lieue du Port, lorsqu'un sentiment de tristesse saisit nos Voyageurs & leur fit perdre la parole à la vue de la Patrie qu'ils abandonnoient, & qu'ils ne devoient revoir

de

de long-tems. Cependant Pinarius, plus résolu que les autres, rompt le silence & propose pour dissiper leur chagrin de réciter une Elégie, qu' il avoit composée peu de jours avant le Voyage. Cette piéce de Vers est une Satyre contre les Avocats ignorans, Plagiaires, & Petits Maîtres. Ces trois espéces d' Avocats, dont le Barreau n'est que trop obsédé, y sont représentées avec tous les attributs, qui leur sont propres.

Après quelques jours de Navigation le Vaisseau est poussé par les vents sur une côte inconnue. Les Voyageurs fatigués par le mouvement du Vaisseau, & incommodés par l' air de la Mer mettent pied à terre. Ils s'éloignent du rivage pour tâcher de découvrir une maison, où ils puissent être à couvert pendant la nuit. Par un effet du hazard ils trouvent le Jurisconsulte Minucius, qui après avoir passé la plus grande partie de sa vie dans l'étude de la Jurisprudence & dans les affaires du Barreau, s'étoit retiré dans cette solitude avec quelques domestiques, pour y goûter les plaisirs d'une vie tranquille. La rencontre de cet habile Avocat causa une joye inexprimable à nos Voyageurs. Un repas frugal fut suivi d'une conversation touchante & remplie d' instructions. On agita diverses questions de Droit. Minutius fut charmé de s'entretenir avec ses Hôtes d' une Science, qui avoit fait son unique occupation dans le Monde, & qui étoit encore dans sa retraite le sujet le plus ordinaire de ses réflexions. Il se fit un plaisir de répondre à toutes leurs demandes, & il exposa dans un beau discours les défauts, où sont tombés la plûpart des Auteurs, qui ont écrit sur les matieres de Droit. Il réduit ces défauts à trois „ ou ces Auteurs, dit-il, descendent „ dans des minuties & des détails inutiles; ou pour „ vouloir être trop subtiles, ils deviennent obscurs; ou „ ils traitent la Jurisprudence d' une maniere barbare, „ n'embrassant dans leurs Ecrits que la partie litigieuse „ de cette science, & se bornant aux affaires, que l'on „ plaide tous les jours dans le Barreau. Minucius explique fort au long ces trois défauts. Il fait une critique

que

que juste & sçavante des plus célébres Auteurs en matiére de Droit. Il reproche à chacun ce qu'il a trouvé de repréhensible dans leurs Ecrits.

Il déclame en ces termes contre les Auteurs, qui ont traité sérieusement des questions futiles. „ Peut on „ voir, dit-il, sans indignation la terrible guerre, qui „ s'est élevée entre Claude Saumaise, Desiderius Heraldus, & Gothofredus, sur l'orthographe de Papinien? „ Il s'agissoit de sçavoir si elle étoit ancienne ou nouvelle. Peut-on pardonner à Politien la haine, qu'il „ a fait paroître contre Bartholomæus de Scala, pour une „ dispute, qui s'éleva entr' eux touchant l'orthographe „ de quelques mots contenus dans les Pandectes? L'animosité aveugla ces deux Sçavans à tel point, qu'ils „ n'eurent pas honte de recourir au mensonge pour „ défendre leur cause. Qui pourroit croire tous les combats, qui se sont donnés au sujet du mot de *Pandectes*, pour sçavoir s'il est du genre masculin ou féminin? Antonius Augustinus fut le premier, qui fit naître un doute sur ce point. Cujace ne sçut quel parti „ il devoit prendre, & ne décida rien. Ensuite toute la „ famille des Jurisconsultes se partagea en plusieurs factions, & chacun combattit avec chaleur pour soutenir son opinion. On a plus disputé sur la Patrie d' „ *Irnerius* que sur celle d' Homére.

Le zéle de Minucius n'éclate pas moins contre les Jurisconsultes, qui ont embarrassé les questions de droit par des Observations trop subtiles, & qui au lieu d'éclaircir les matiéres, les ont obscurcies par des recherches, & des disputes inutiles. „ La Jurisprudence, s'écrie-t il, „ est-elle donc un Art inventé pour fatiguer les esprits? „ N'ôtons point à cette Science sa beauté naturelle. „ Elle est née pour gouverner les choses publiques & „ particuliéres, & pour former les esprits à la Justice. „ Si vous lui ôtez la clarté & la facilité, de quel usage „ sera-t-elle pour le gouvernement des peuples, des Cités & des Particuliers? Ces subtilités, ces termes captieux, ces détours obscurs n'étoient que trop en régne

„ avant

„ avant Justinien . Ce Prince les a banni du Droit Ro-
„ main , & il n' a rien eu tant à cœur que de suivre
„ la simplicité de Papinien .

Minucius s'emporte avec la même véhémence contre les Auteurs, qui n'étant pas capables de traiter les belles questions de la Jurisprudence n' ont rempli leurs Ecrits, que de chicanes & de matiéres à procès . *Hi sunt asperi*, dit-il, *tristes*, *horridi* , *inquinate loquentes* , *non instructi*, *non terminati* , *nihil habent luminosum* , *nihil dicunt tranquille* , *leniter*, *partite*, *definite*, *distincte*, *facete : sententias fovent abnormes* , *&* *nescio unde ex abdito erutas* , *a quibus. succus ille & sanguis legum incorruptus abest omnis*.

Après avoir passé une nuit délicieuse dans la maison de Minucius, les Voyageurs retournent à leur Vaisseau, & continuant leur route ils arrivent dans une Isle peuplée d'aimables habitans . L'air pur, que l'on y respiroit & la crainte de la peste qui infestoit le continent, & une partie des Isles voisines , y avoit ressemblé un grand nombre de gens riches . Nos Avocats y furent acueillis par un Jurisconsulte nommé Lucius Veturius , qui les invita à loger dans sa maison . On peut bien s' imaginer qu' il ne fut encore question entr' eux que de la Jurisprudence . Jenutius (c'est le nom que M. Jennaro a pris dans son voyage) demande à Véturius, d'où vient que de tous les droits reçus chez les différens Peuples, aucun n' a eu une si longue durée, ne s'est aquis tant de réputation & de gloire, n'a été suivi par tant de Nations n'a eté cultivé & éclairci par tant d' habiles gens que le droit du Peuple Romain . Veturius répond, que ce droit est en partie redevable de sa dignité à une certaine pompe , & solemnité qui l' accompagnent . „ Il ne
„ se renferme pas , dit-il , comme les droits des au-
„ tres Peuples dans les bornes de la nécessité & de la
„ simple nature ; il employe des détours majesteux , des
„ fictions innombrables sans faire tort à la vérité, & une
„ infinité de formules d' une clarté & d' une précision
„ admirable . Vous ne trouverez point de Nation, qui

„ ait

„ ait divisé la jurisdiction avec tant de subtilité & en „ même tems de gravité, qui dirige les contrats & les „ testamens d' une manière plus circonstanciée & plus „ propre. La Jurisprudence Romaine est doctement su„ perstitieuse, rigide sans causer de l'effroi, & impérieu„ se avec douceur. Rien n'a plus contribué à rendre le „ Droit Romain florissant, que les soins, que les plus „ grands génies ont pris de polir ce qu'il avoit de ru„ de, à déveloper ce qu' il avoit d' entortillé, à confir„ mer ce qui étoit douteux, à rassembler & à arranger „ ce qui étoit épars & confus. Les loix des autres peu„ ples distituées de cette pompe, & de ce grand appareil, „ qui acompagne le Droit Romain, n' ont produit au„ cune secte de Jurisconsultes à cause de leur trop grande „ simplicité. Le Droit Romain, au contraire, s' est at„ tiré dans tous les temps l'attention des meilleurs esprits, „ par l' abondance de ses inventions, par la force de „ ses raisons, par l'équité & la sagesse de ses décisions „ & plus encore par sa propre structure, & par un cer„ tain air de Majesté, qui imprime un grand respect.

Nous passons sous silence plusieurs circostances de ce voyage, pour arriver plutôt à l'Isle, où est la République des Jurisconsultes. Nous remarquerons seulement, que nos Voyageurs s'étant approchés de Delos, ils furent curieux de voir le Temple d' Apollon. Ils apprirent d'un jeune Avocat nommé Ælius, qu'ils trouvérent à la porte du Temple, que les Jurisconsultes ont de tout tems honoré ce Dieu d'un culte particulier. „ Vous en de„ vinez sans doute la raison, leur dit Ælius; vous sça„ vez qu' Apollon est le Dieu des Augures, & que la „ Jurisprudence n'etant en partie que l'art de bien con„ jecturer, il ètois important aux Jurisconsultes de se „ rendre ce Dieu propice, afin d' avoir le don de de„ viner juste.

Numicius choqué de ce propos, répondit, qu'à la verité les conjectures sont du ressort de la Jurisprudence, mais que les bons Jurisconsultes n'ont point recours à l'art des Devins, quand il s'agit de marcher dans ces

routes inconnues ; qu'au contraire ils prennent toujours la raison pour guide . „ Vous m'avouerez cependant , „ reprit Ælius , que la plûpart aiment mieux suivre „ leurs caprices , que les lumiéres de la raison , soit que „ cette méthode leur paroisse plus facile , soit qu'ils ne „ soient point en garde contre leurs préjugés , & qu'ils „ adoptent des opinions sans les avoir bien examinées .

Le Temple d'Apollon étoit neuf ; les jeunes Avocats en parurent étonnés . Ælius remarquant leur surprise , dit que Balde l'avoit fait rebâtir . Il leur apprit , que ce Jurisconsulte ayant gagné quinze mille écus d'or avec l'aide d'Apollon , par le moyen des Traités , qu'il avoit composé sur les substitutions (matiére qui a toujours donné lieu aux conjectures les plus hardies ,) il en avoit témoigné sa reconnoissance au Dieu , en relevant son Temple , qui tomboit en ruine .

Antonius Faber & les autres Jurisconsultes , qui ont rempli leurs Ecrits de conjectures , ne sont pas mieux traités ici que Balde . Ælius raconte encore , que la coutume s'étant introduite parmi les Jurisconsultes d'offrir au Dieu un exemplaire de leurs Ouvrages , le Temple se trouva en peu de tems rempli d'un si grand nombre de Commentaires , de Gloses , & d'autres méchans livres , qu'Apollon indigné de cet amas de mauvais Ouvrages , en voulut débarrasser son Temple , & permit que le feu les consumât tous en une nuit . Le seul livre , que la flamme epargna , fut le Corps du Droit Civil par Alciat . Les jeunes Avocats furent curieux d'ouvrir ce livre . Ils virent avec une secrette satisfaction , qu'il n'y avoit que le texte ; & que les marges n'étojent pas chargées de Commentaires , de Citations & de Gloses , que les Digestes n'étojent partagés qu'en deux Volumes , le premier desquels contenoit touts les piéces depuis le commencement jusqu'au Senatus-Consulte de Trebellius , & le second embrassoit tout le reste jusqu'à la fin de l'Ouvrage . Jenutius fit observer à ses compagnons de voyage , que cette partition des Digestes en deux Volumes , étoit un ancien Monument , qu'Alciat avoit respe-

été, & que la distribution en trois Volumes sous les titres barbares de *Digestum vetus*, *infortiatum*, *ac novum*, étoit une production nouvelle introduite du tems de Bulgarus & d' Azo.

De l' Isle de Delos les Voyageurs passérent dans celle de Paros, où ils apprirent qu'Ange Politien & Accurse s' étoient retiré. Politien avoit abandonné la République des Jurisconsultes, par aversion pour Budæe, qui l' avoit traité d' Ecrivain froid, scrupuleux & méprisable; & l'avoit accusé d'avoir pris dans Plutarque tout ce qu' il dit dans une dissertation, qu'il a composée sur Homére. Politien ne pouvoit aussi suporter André Alciat, qui étoit d' un caractére d' esprit tout opposé au sien, & qui ne laissoit échaper aucune occasion de le piquer & de lui dire des choses offensantes. Mais Politien ne resta pas long-tems à Paros. Il en sortit dès qu' il eut appris qu'Accurse son plus grand ennemi y avoit établi sa demeure.

Pour expliquer les raisons, qui ont obligé Accurse de quitter l' Isle de la République, l' Auteur reprend son Histoire dès le commencement. Accurse commença à l'âge de 40. ans à étudier le droit sous Azon & Odofrede; il y donna tant d'application, qu'il répara en quelque sorte par son assiduité au travail le tems, qu'il avoit passé sans étudier cette science. Aprés avoir achevé son cours de Droit, il se retira dans une solitude, où lisant jour & nuit les Ovrages des Jurisconsultes, il fit une compilation des Gloses d' Irnerius, de Bulgarus, de Martinus, de Placentinus, de Pylcus, de Jean Imola & d' autres Auteurs, dont il forma un Corps d' Ouvrage, qu' il donna au Public sous son nom. Les ignorans admirérent l' érudition & le sçavoir d' Accurse; & ce Compilateur jouit assez long-tems d' une réputation, qu' il devoit plutôt à la stupidité du Vulgaire, qu' à son propre mérite. Il passa après sa mort dans la République des Jurisconsultes, où il voulut jouer un grand rôle & paroître ce qu' il n' étoit pas. Il ne cessoit de se louer lui-même & de se vanter d' avoir orné ses Gloses de passages d' Aristote & de Platon, & de vers des Anciens

Poëtes. Son air important émut la bile à quelques-uns, & fut pour les autres un sujet de plaisanteries. Mais les Jurisconsultes de son tems ne lui pardonnérent pas les injures, qu'ils en avoient reçûes. Ils s'en plaignirent hautement, & le traitérent publiquement de méchant homme.

Si Accurse eut eu assez de modération pour n'offenser que les Jurisconsultes de la seconde Classe, peut-être auroit-il pu subsister dans la République; mais ce qui acheva de le confondre & de le perdre, c'est qu'il avoit porté l'insolence jusqu'à attaquer les anciens Jurisconsultes & à manquer de respect à Justinien même. Cet Empereur se préparoit à s'en venger, lorsqu'Accurse voyant ses fourberies découvertes, son mauvais caractére d'esprit reconnu & détesté, le déchainement de tout le monde & la colére de l'Empereur toute prête à éclater, se réfugia chez Cujace, espérant que ce Jurisconsulte, qui lui avoit donné autrefois de grandes louanges, & qui l'avoit préféré à tous les Interprétes Grecs & Latins, voudroit bien le défendre & le mettre à couvert des poursuites de ses ennemis. Mais soit que Cujace eût oublié ce grand éloge, qu'il avoit fait d'Accurse, soit qu'il ne voulût pas s'en souvenir, (car c'étoit assez le foible de Cujace de louer les plus mauvais Jurisconsultes pour déprimer les plus illustres, à qui il portoit envie) Accurse abandonné de tout le monde, fut obligé de prendre la fuite. Il se retira dans un lieu solitaire de l'Isle de Paros, où nos Avocats eurent la curiosité d'aller le voir.

Ils le trouvérent occupé à écrire contre Budæe, qui l'avoit maltraité dans ses Ecrits. Ce qu'il y a de plus remarquable dans cette entrevûe, c'est la priére, qu'Accurse leur fit au moment qu'ils alloient le quitter. „ Lorsque vous serez de retour dans votre monde, leur dit-il, „ je vous prie de me rendre un service sur une affaire, „ qui me tient fort au cœur, & de me délivrer d'une „ peine d'esprit, qui me tourmente depuis long-tems. „ Il arrivera peut-être, que pour gagner de l'argent,

„ quel-

,, quelque demi Sçavant fera réimprimer le Corps du
,, Droit Civil, en y ajoutant quelques remarques. Si
,, le cas arrive, je vous prie d'y faire effacer les Glo-
,, ses, que j'ai marquées sur ces Tablettes. Elles ont
,, déplu à plusieurs Jurisconsultes, & je vous avoue qu'
,, elles me paroissent froides & inutiles. Mais ayez bien
,, soin sur-tout de faire conoître au Public, que toutes
,, ces Gloses ne sont pas de moi, & que mon fils & d'
,, autres personnes ont ajoûté celles, qui passent pour
,, les plus ridicules.

Les Voyageurs instruits par un habitant de Paros de la situation de l'Isle de la République, font voile & arrivent enfin dans ce lieu si désiré. La premiére personne, qui s'offre à leur vûe, est un Religieux. Cherchant à deviner qui ce pouvoit être, ils se rapellent tous les Religieux, qui ont écrit sur la Jurisprudence, ce qui donne occasion à la critique de plusieurs Ouvrages. Atilius, que l'Ædile de la République avoit donné aux nouveaux arrivés pour guide, leur dit, que Balde étoit le Jurisconsulte, qu'ils avoient vu en habit de Religieux. Nautius ayant remarqué que Balde enfonçoit sa tête dans le capuchon ,, il veut, dit-il, cacher la rou-
,, geur, dont son visage doit être couvert à cause de
,, l'ingratitude, qu'il a fait paroître envers Bartole son
,, maître; car disputant un jour contre lui sur les dif-
,, férentes leçons d'une loi, il eut la lâcheté de corrom-
,, pre plusieurs Exemplaires pour autoriser son senti-
,, ment. Sa fraude fut découverte, & il en eut tant
,, de honte, qu'il fut obligé de quitter sa Patrie. La raison, pour la quelle Balde portoit un froc après sa mort, c'est qu'il avoit voulu mourir dans l'habit de saint François.

Le lendemain de leur arrivée, les Voyageurs conduits par Atilius vont dans un lieu extrêmement agreable, où la République avoit fait bâtir un Temple à la Philosophie. La garde de ce Temple avoit été confiée à Emundus Merillius, qui n'étoit pas moins versé dans la Philosophie & les Belles-Lettres, que dans la Juris-

prudence . Les avenues du Temple , & les portiques étoient ornés d'emblêmes & d'inſcriptions à l' honneur de Zenon & de la ſecte Stoïcienne . Un des Voyageurs demanda à Merillius , ſi les anciens Juriſconſultes s'étoient appliqués à la Philoſophie , & s' ils jugeoient que cette ſcience fût néceſſaire à ceux , qui veulent exceller dans la Juriſprudence . Cette queſtion eſt traitée fort au long, & elle donne lieu à l' Auteur de faire pluſieurs réflexions critiques.

Comme cet Extrait a déja aſſez d' étendue , nous remettons au mois prochain à rendre compte du reſte de cet Ovrage.

JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO

Advocati Neapolitani Respublica Jurisconsultorum. Excudebat Felix Musca, Neapoli, anno 1731. publica auctoritate.

C'est-a-dire : *La République des Jurisconsultes*, *par* Joseph Aurele Jennaro *Avocat Napolitain*, *imprimèe chez Felix Musca* 1731.420.pag.

Second Extrait. pag. 1283.

NOus avons raconté dans notre Journal du mois d'Auril une partie des aventures des jeunes Avocats, qui alloient chercher l'Isle, où les Jurisconsultes sont relegués après leur mort. Nous les avons même suivi jusqu'à la Ville, où la République est établie; il nous reste à donner dans cet Extrait une idée du gouvernement de cette République, & à rendre compte de ce que les Voyageurs y ont vû & entendu.

La forme du gouvernement de l'Isle étoit la même que celle de la République Romaine. Le peuple étoit partagé en trois Ordres, à sçavoir l'Ordre des Sénateurs, l'Ordre des Chevaliers & celui des Plébéïens. Les anciens Jurisconsultes, qui ont fleuri depuis Sex. Papyrius jusqu'à Modestin formoient le corps des Sénateurs. Aucun de ceux, qui l'ont suivi, n'y fut admis, parce que depuis Modestin la Jurisprudence commenca à tomber, & les Oracles de cette Science ne redirent plus de réponse. L'Ordre des Chevaliers étoit composé de ceux, qui long-tems aprés les anciens Jurisconsultes enseignérent le Droit à Rome, à Constantinople, & à Beryte. On y avoit aussi compris les Auteurs, qui depuis An-

dré Alciat jusqu'à notre tems ont porté dans l'Etude de la Jurisprudence un esprit cultivé par l'usage des Belles-Lettres, & qui ont écrit avec quelque élégance sur les questions du Droit. On comptoit au nombre des Plébéïens Accurse, Bartole, Odofrede, & tous les autres Jurisconsultes de cette espéce. Mais quoiqu' ils fussent au rang des Plébéïens, ils étoient traités avec distinction; on les admettoit aux charges & aux honneurs de la Magistrature. Il est vrai que plusieus Sçavans en murmurérent; ils prétendoient que des Ecrivains, qui n' avoient répandu aucunes graces dans leurs Ecrits, & qui non seulement ne s'étoient point appliqués à l'Etude de la Grammaire, mais qui avoient eu assez de mauvais sens pour tourner en ridicules ceux qui l'enseignoient, ne devoient avoir aucune part aux honneurs de l'Etat. Le reste des Plébéïens, à sçavoir les Compilateurs, les Diseurs de rien, en un mot, tous les Auteurs, qui ont traité des question futiles & ridicules, étoient dans un état d'avilissemment proportionné à leur peu de mérite.

Les Consuls de cette année,etoient Ulpien & Papinien. Les trois Livres, que le premier avoit composés sur le devoir du Consul, le firent juger digne de cette Magistrature. Un des Voyageurs nommé Nautius, parut étonné qu'on lui eût donné Papinien pour Collégue. „ „ On a violé, dit-il, la loi annaire, qui défend de nommer Consul un Candidat, qui n'a pas encore ateint „ l'âge de quarantetrois ans. Or Papinien est mort à „ 36. ans. Mais il y a apparence, ajouta-t-il, que le „ peuple n'a pas cru devoir observer cette Loi dans toute sa rigueur, à l'égard d'un homme illustre, qui a „ rendu de si grands services à la Jurisprudence. „ Atilius lui répondit que Papinien n'étoit pas mort jeune; comme l'ont faussement avancé Hotomannus, Lectius, Corasius, Strauchius, & plusieurs autres sur la foi de deux inscriptions trouvées à Rome; il ajouta que Galvanus a solidement refuté l'opinion de ces Sçavans, ayant démontré que les prétendus monumens, sur les quels ils

se

se fondoient, étoient supposés, & que ce Jurisconsulte a vécu près de 70. ans.

Jacques Cujas avoit été élu Préteur malgré les brigues & l'opposition de ses ennemis. Duaren, Doneau, Baudouin, Hotoman, Bodin, envieux de son mérite, avoient employé toutes sortes de moyens pour empêcher qu'on ne l'élevât à cette dignité. Mais les mauvais bruits, qu'ils firent courir, devinrent inutiles. La grande réputation, que ce sçavant homme s'étoit si justement aquise par l'étendu de son génie, & par ses glorieux travaux l'avoit mis fort au-dessus de l'envie. Il jouissoit d'une si grande considération dans la République, & il s'étoit tellement attiré la bienveillance de tout le monde, que ceux, qui osérent entrer en lice avec lui, ne remportérent du combat que de la honte & de l'ignominie. M. Gennaro fait ici l'éloge de Cujas & de ses Ouvrages. „ Cujas, dit-il, à embrassé dans ses Ecrits „ la Jurisprudence toute entiére; il n'a laissé échaper „ aucune question sans la traiter. Il a mis en œuvre „ avec tant d'adresse, ce qu'il a emprunté des autres „ Jurisconsultes, qu'il a l'air d'en être l'inventeur; tout „ est mis à sa place dans ses Ecrits; tout y est traité avec „ l'étendue convenable: il n'est jamais assez long pour „ causer du dégoût; ni assez resserré pour faire naître „ le desir d'une plus ample explication; concis sans „ obscurité, élégant avec une aimable simplicité, il n' „ étale de l'érudition qu'à propos, & lorsque l'occa- „ sion semble le permettre. Il repand par-tout la lu- „ miére & l'instruction, il n'est jamais occupé de cho- „ ses inutiles. Il est plein d'humanité dans ses obser- „ vations, subtile dans les traités, abondant & coulant „ dans ses commentaires, modéré & noble dans ses ré- „ futations, soigneux & exact dans les notes, serré & „ plein de sens dans les Paratitles; droit & pru- „ dent dans les consultations. „ Cet éloge de Cujas est suivi du détail de tout ce que ses adversaires ont fait & dit pour empêcher son élection à la charge de Préteur. Ce morceau est un fidel récit des traverses, que ce célébre Jurisconsulte a eu à essuyer de la part de

ses

ses ennemis pendant sa vie. Albéricus Gentilis Ecrivain obscur & de peu de mérite, qui a composé un Livre intitulé l'*Anti-Cujas*, est celui des ennemis de ce grand homme, sur qui M. Gennaro exerce le plus sa critique.

Les jeunes Avocats demandérent ensuite à Atilius leur conducteur, quels étoient les Censeurs de la République ? Atilius leur repondit, qu' on les avoit choisis dans deux ordres différens, que l' un étoit Patricien & l'autre Plébéïen. L'usage ancien étoit, leur dit-il, que les Censeurs fussent tous deux Patriciens; mais depuis que le nombre des mauvais Auteurs s'est si fort multiplié, on a jugé à propos de choisir un Plébéïen pour exercer les fonctions de cette charge. On a cru avec raison qu'il n'étoit pas convenable d' obliger des hommes graves & d' un esprit élevé, tels qu' étoient les anciens Jurisconsultes, d' examiner cette prodigieuse quantité de mauvais ouvrages qui ont paru de nos jours. M. Portius Cato fut élu d'une voix unanime pour Censeur Patricien. L'intégrité, & la sévérité, avec laquelle il avoit exercé cette charge pendant sa vie, détermina tous les Jurisconsultes à lui déférer cet honneur. Mais on fut embarassé sur le choix d'un Censeur Plébéïen. On jetta d'abord les yeux sur Irnerius. Le mérite d' avoir eté le prémier Interprete des Loix, & d' avoir écrit sur le Droit Civil, ce qu'aucun Jurisconsulte n' avoit osé entreprendre avant lui, sembloit devoir le faire préférer à tous les autres. Mais deux choses lui firent donner l'exclusion. La premiére, c' est d' avoir appellé du nom de *gloses* les courtes notes, qu'il avoit joint à chacune des Loix, & d'avoir engagé la posterité à suivre son erreur dans l'acception de ce mot, n' ayant pas fait reflexion que les gloses ne sont pas des interpretations, mais les termes mémes obscurs, qui ont besoin d' être interprétés. La seconde, c'est qu' y ayant deux traductions des Novelles Grecques, il a rejetté la meilleure & la plus élégante comme mauvaise, & il a conservé celle qui étoit mal écrite.

Peu

Peu s'en est fallu, continue Atilius, que Jean Imola n'ait été élevé à le Censure. Ses grands travaux & & la conoissance parfaite, qu' il avoit aquise du Droit Civil, sembloient le rendre digne de cet emploi. Mais Bartole, qu' il avoit maltraité dans ses Ecrits, s' opposa à ce choix. Il représenta, qu' Imola avoit trop peu d' esprit pour exercer la Censure avec dignité, qu' il lui étoit arrivé plus d' une fois dans des thèses ou disputes publiques de n' avoir sçu que répondre sur des questions de Droit, qu' il étoit demeuré interdit, & muet, comme s' il avoit oublié tout-à-coup tout ce qu' il avoit appris dans ses Etudes.

Enfin on déféra la charge de Censeur à *Martinus Fani fortuna*. On jugea ce Jurisconsulte digne de cet honneur, à cause de la bonté naturalle de son esprit; il n' étoit pas d' un caractére assez facile pour aprouver toutes sortes d' ouvrages sans les avoir examinés, il étoit encore moins capable d' une basse envie, pour rejetter toutes les productions des autres comme mauvaises; deux défauts cependant, comme l' observe M. Gennaro, qui ne sont que trop communs parmi les gens de Lettres.

Les Magistrats s' assemblérent un jour pour faire la censure des Ouvrages des Jurisconsultes. Tous les Etrangers accoururent à la place publique, nos Voyageurs crurent qu' ils alloient en ce jour recueillir tout le fruit de leur longue navigation. Mais on les vint avertir de ne pas se présenter dans cette Assemblée; on leur dit, qu' on n'aimoit pas y voir arriver des Etrangers avec l' air de gens curieux & empressés, qui veulent tout entendre & tout soumettre à leur critique; que les Censeurs réprimandoient quelquefois sur certaines fautes des Auteurs, qui d' ailleurs méritoient l'estime & la vénération du public; que l' on avoit une aversion particuliére dans cette République pour une certaine espéce d' hommes, qui semblent être nés pour la ruine des beaux Arts. Ce sont ces petits esprits, ces demi-Sçavans envieux, qui se font une étude de chercher dans meilleurs Ecrits des fautes légéres pour en prendre occasion de déprimer les Au-

Auteurs. „ Plût à Dieu, dit alors Atilius, que nous
„ n'eussions à supporter que les seuls Gronovius, les
„ Politiens, les Aretins, les Scaligers & les Arnaulds:
„ si ces Sçavans ont eu la foiblesse de médire de tout
„ le monde on ne peut pas du moins disconvenir, qu'
„ ils ne fussent consommés dans les bonnes Etudes; mais
„ on voit tous les jours éclore des petits Auteurs à de-
„ mi barbares, qui n'ont pour tout mérite que la ma-
„ lignité & la fureur de critiquer les meilleurs Ovra-
„ ges. „

Pour dédommager en quelque sorte les jeunes Avocats de ce qu' on ne leur avoit pas permis d' entendre la censure des Auteurs dans l' Assemblée publique, Atilius les mena dans une maison de campagne de Cn. Lentulus, où plusieurs habiles Jurisconsultes avoient coutume de s' assembler pour discourir sur toutes sortes de sujets de la belle Littérature. Les Voyageurs y eurent le plaisir d' entendre un Orateur célébre nommé T. Herminius, qui leur rendit compte des censures de M. Portius Cato. Il fut d' abord question, leur dit cet Orateur, de Q. Ælius Tubero. Le Censeur approuva sa doctrine; mais il le blâma d' avoir affecté de se servir de mots, qui ont cessé d' être en usage: rien, dit-il, ne doit faire plus de peine au Lecteur, que ces expressions anciennes & recherchées au milieu d' une dispute, ou l' esprit est déja assez occupé à suivre le raisonnement de l' Auteur. Coccejus Nerva eut ordre de ne pas user de tant de raffinement, en traitant les questions de Droit: Le Censeur lui remontra, que dans une Faculté établie pour le bien public, & non pour d' inutiles disputes, il ne onvenoit pas de s' abandonner à son génie, qu' il y avoit de l' indécence à faire montre d' esprit, où il ne s' agissoit que de raisons solides. L' Esprit de Claudius Saturninus déplut au Censeur. Il trouva en ce Jurisconsulte trop d' amour propre en ce qu' il suivoit toujours des opinions singuliéres, & qu' il paroissoit dédaigner les sentimens des anciens Jurisconsultes. Julius Paulus & Dom. Ulpien ne furent point exempts de censure. On re-

reprocha au prémier, d'avoir eu trop de penchant à médire, & d'avoir donné atteinte à la réputation des Hommes Illustres, & au second, d'être trop diffus d'avoir traité des questions inutiles, & de s'être arrêté à des minuties, qui ne méritoient pas l'attention du public. Au reste le Censeur loua la fécondité d'Ulpien, & la facilité, qui régne dans tous ses Ecrits, qualités admirables, qui au sentiment de plusieurs Jurisconsultes, l'egalent à Papinien. Le Jurisconsulte Hermogénien reçut une vive réprimande. Le Censeur parut fort en colère contre lui de ce qu'ayant vêcu sous l'Empire de Dioclétien, il n'avoit pas eu honte de se servir de mots barbares, & de avoir voulu altérer la pureté de la Langue Latine, avec la quelle les Jurisconsultes ont de tout tems écrit sur les matiéres de Droit.

Mais les défauts des anciens Jurisconsultes étoient si peu considérables, & si en si petit nombre, & d'ailleurs ils avoient compensé ces défauts par tant de vertus, que Caton crut devoir les traiter avec beaucoup de bonté & de douceur. Il en usa de même à l'egard des nouveaux Jurisconsultes, qui se sont rendus célébres par leurs travaux & leur erudition. Andrè Alciat reçut d'abord les louanges, qu'il avoit justement méritées, pour avoir tirè la Jurisprudence de l'état obscur, où elle étoit avant lui, & pour avoir ranimé l'étude du Droit dans toute l'Europe. On ne lui pardonna pas cependant de s'être presfé de publier uu certain Livre intitulé: *Disputationes & Paradoxa*, qu'il composa à l'âge de vingt-deux ans. On lui remontra qu'un Ouvrage de cette nature demandoit un âge plus mûr, où l'esprit étant plus formé & moins hardi, le jugement plus exact, on a plus de discernement pour recueillir les productions & les pensées des autres Ecrivains. Il fut aussi blâmé d'avoir répandu dans des Liures de Jurisprudence beaucoup d'érudition déplacée & étrangére à la matiére qu'il traitoit.

Ce jugement d'Alciat est suivi des censures de Duaren, d'Antoine Govea, de Barnabé Brisson, de Claude Saumaise, d'Hotoman, d'Antonius Augustinus, de Doneau, de François Connan, & de Cujas. M. Gennaro rappor-

raporte auſſi les jugemens, que Martinus, Cenſeur Plébéjen, prononça ſur les Ouvrages des Auteurs d'une moindre réputation. Tout ce détail eſt très-curieux, mais trop long pour trouver place dans un Extrait.

Quelques jours après la tenue des Comices, il y eut une terrible émeute parmi les nouveaux Juriſconſultes, à l'occaſion d'une Requête, que Duaren préſenta à Caton contre les Plagiaires, & les Compilateurs. Il demandoit que l'on chaſsât de la République tous ces voleurs, qui s'étoient aproprié ſans aucune peine les richeſſes, qui avoient couté tant de veilles aux habiles Juriſconſultes. Caton répondit, qu'il n'y avoit rien de plus juſte & de plus honnête que ſa demande, & qu'auſſitôt qu'il auroit fait la recherche de tous les coupables, il lui donneroit ſatisfaction. Le bruit de cette démarche de Duaren vint aux oreilles de Cujas. Ce ſage Juriſconſulte prévoyant le tumulte & les troubles, que cette requête devoit cauſer dans la République, alla trouver Duaren pour l'engager à ſe déſiſter d'une ſi périlleuſe entrepriſe. Toutes les bonnes raiſons, qu'il put alléguer, ne perſuadérent pas Duaren. Au contraire celui-ci n'en devint que plus ardent à ſolliciter l'effet de ſa demande. Il crut que ce n'étoit pas l'amour de la paix, qui avoit engagé Cujas à le diſſuader, mais la crainte de voir ſes propres larcins découverts. L'envie, qu'il portoit à ce grand homme, lui faiſoit déſiderer de le voir humilié. Lorſqu'on eut commencé par ordre du Cenſeur à rechercher les Plagiaires, on n'entendit de tous côtés que les cris des Auteurs, qui ſe plaignoient de ceux, qui les avoient pillés; il n'y avoit pas un coin de rue dans la Ville, où il ne ſe fit des aſſemblées de gens, qui n'ayant rien de mieux à faire, animoient les Auteurs les uns contre les autres, & rioient de l'embarras où ils voyoient les coupables. Balde étoit furieux contre Duaren, & il le menaçoit de le faire repentir de ſes pourſuites. Comme Bartole ne paroiſſoit pas en public, pluſieurs malveillans interprétoient sa retraite en mauvaiſe part. Guillaume Durand, à qui la conſcience reprochoit d'avoir pillé dans les Ouvrages de Jean Blanaſque, de Jo. Faſole

la

la plûpart des choses, qu' il avoit dites dans son Livre intitulé *le Miroir*, prit le parti de prier les Jurisconsultes, qu' il avoit volé, de ne pas le décéler, espérant par ce moyen d' échaper à la honte d' être chassé de l' Isle comme Plagiaire. Alciat lui-même n' étoit pas sans inquiétude; il craignoit les emportemens de François Robortell; il sçavoit que cet homme vain ne manqueroit pas de se plaindre publiquement de ses larcins. Mais il avoit encore bien plus à craindre de la part des vieux Interprétes de l' école d' Accurse & de Bartole, qu'il avoit insulté en disant, qu' aucun d' eux n' avoit osé entreprendre un commentaire sur le titre des Pandectes, qui traite *de la signification des mots*, parce qu' ils étoient des esprits grossiers, qui n' avoient aucune teinture de Belles-Lettres, & qu' un commentaire sur ce *titre* demandoit un esprit extrêmement cultivé. En effet pour se venger de cet affront, Bartole, Balde, Alexandre & les autres Jurisconsultes de cette classe, montroient au doigt les endroits, qu' Alciat avoit emprunté de leurs Ecrits, en composant le premier commentaire, qui ait paru sur ce *titre* des Pandectes, & ils confondoient ainsi l'orgueil de ce Jurisconsulte plein de merité à la vérité, mais qui montroit un peu trop de vanité dans les éloges, qu' il faisoit de ses propres Ouvrages.

Le récit de la guerre, qui s' éleva entre les Jurisconsultes à l' occasion du Plagiat, est tres-amusant à lire. Nous renvoyons le Lecteur au Livre même. Nous nous contenterons de dire, que Duaren, qui avoit excité cette guerre, eut lieu de s' en repentir. Tous les Jurisconsultes Italiens se liguérent contre lui, ils firent une exacte recherche de tout ce qu' il avoit emprunté lui-même des Auteurs, qui l' avoient précédé, ils le couvrirent de confusion à la vûe de ses larcins, & ils lui conseillérent de ne pas poursuivre avec tant d' animosité la condamnation des Plagiaires, dans la quelle il ne manqueroit pas d' être lui-même envelopé.

Mais ce qui acheva de mettre fin à ces troubles, & qui contribua le plus à rétablir la concorde dans la Républi-

publique, c'est la nécessité, où l'on se trouva de songer à la célébration des jeux séculaires, dont le tems s'approchoit. Les Jurisconsultes avoient coutume de célébrer ces jeux avec beaucoup de pompe & de cérémonies. On y représentoit ordinairement des Tragédies & des Comédies; mais il y eut cette année une espéce de divertissement bien plus agréable pour les Jurisconsultes. Un Etranger ami des Muses demanda la permission à André Alciat, qui en qualité d'Ædile étoit chargé de la représentation de jeux, de réciter en présence de tous les Ordres de la République un Poëme sur les Loix des douze Tables. Tous applaudirent à ce dessein, on lui promit même des récompenses, s'il traitoit ce sujet avec l'élégance & la majesté qu'il demandoit. Les plus excellens Poëtes Latins, qui étoient alors dans l'Isle, furent curieux d'entendre ce Poëme, dont l'argument, quoiqu'extrêmement propre à la Poësie, n'avoit été traité par aucun d'eux.

Ce Poëme est environ de dixhuit cens vers. Aprés l'exposition du sujet & l'invocation des Muses, qui est conçue dans les termes les plus élégans, M. Gennaro recherche l'origine des Loix; il en raporte l'invention à Cérès, qui, après avoir montré aux hommes l'art de labourer la terre, & de se procurer une meilleure nourriture, conçoit le dessein de former & d'adoucir leurs mœurs par le moyen des Loix. Cette Déesse propose son projet dans une assemblée des Dieux: La plûpart des Dieux jaloux du bonheur, dont les mortels devoient jouir sous l'empire des Loix, s'opposent au dessein de Cérés; mais Jupiter plus généreux l'approuve. Le Poëte parcourt ensuite les contrées, où les Loix commencérent à fleurir. Il dit qu'elles prirent naissance dans l'Egypte & dans la Lycie, que de là leur empire s'étendit sur la Thrace & la Scythie, il fait mention des plus célébres Législateurs de la Gréce, sçavoir de Lycurgue, de Dracon, & de Solon, & il passe ensuite aux Loix Romaines, dont il rapporte l'origine. Il parle d'abord des Loix, qui furent en vigueur sous les premiers Rois

de

de Rome ; il raconte en termes pathétiques l'outrage fait à la pudeur de Lucrece, la mort tragique de cette héroine, le soulévement du peuple Romain, le bannissement des Rois, l'abrogation des Loix, qu'ils avoient établies, la création des Consuls & l'origine des Loix des douze Tables, dont il donne une interprétation suivie, ayant soin de mettre au bas de la page les propres termes de chaque Loi. Nous raporterons ici l'explication de la premiére Loi, qui donne au Pere un pouvoir sans bornes sur la personne de ses enfans. Le Lecteur pourra juger par ce morceau de la maniere, dont le Poëme est exécuté.

Immensum Patris arbitrium & suprema potestas
In sobolem fuerat. Magnum ac sublime Latinæ
Indolis inventum, reliqui quæ moribus orbis
Posthabitis, genio pectus perculsa superbo,
Quæ populi fuerat solius publica causa,
Jus necis ac vitæ, voluit pendere Parentum
Judicio; ut privata domus compescere posset
Atrox natorum ingenium, lethique minister
Impavidus Patris rigor in sua viscera factus,
Judicis impleret partes, oblitus amorem
Et Patris pietatem animi.

Ce Poëme fait un honneur infini à M. Gennaro. Quoique le sujet en soit ingrat en apparence, & peu susceptible d'ornemens, le Poëte a sçu le rendre agréable par les graces, qu'il y a répandues avec profusion. La versification conserve par-tout la noblesse, que demande la gravité du sujet, sans rien perdre de la clarté & de la facilité requises dans le genre didactique. Ces Loix conçues en termes anciens & obscurs, sont ici expliquées avec autant de netteté, que dans les Commentaires les plus clairs des Jurisconsultes. Si on a lieu d'admirer dans le cours de l'Ouvrage la fécondité du génie de M. Gennaro, la beauté de son imagination, son talent pour la Poësie, la délicatesse de son goût pour les Belles-Let-

 tres ;

tres ; on en trouvera encore de plus fortes preuves dans ce Poëme.

Nous laissons à ceux, qui sont versés dans la Jurisprudence, de juger de la justesse de ses critiques ; ce que nous pouvons assurer, c'est que l'Auteur n'a employé dans le texte aucun trait malin contre les Jurisconsultes, qu'il n'ait cité au bas de la page l'Auteur, d'où il l'a tiré.

Le Volume est terminé par une exposition des justes plaintes, que la plûpart des Jurisconsultes ont faites contre Tribonien. Les Anciens l'accusoient d'avoir supprimé malignement une partie de leurs Ouvrages, ou de les avoir tronqués & falsifiés. Tribonien cependant avoit des Partisans dans la République. Ce qui fut cause que son jugement fut différé pendant quelque tems. Mais Hotoman, le plus ardent de ses ennemis, se donna tant de mouvemens, & sollicita les Magistrats avec tant de vivacité, qu'à la fin on instruisit le procès de Tribonien. Sulpicius élu Dictateur pour pacifier la République, prononça un Discours très-éloquent contre Tribonien. Mais nos Voyageurs impatiens de retourner dans leur patrie, n'attendirent point la décision de cette affaire. Ils revinrent à Naples après deux années d'absence.

J O-

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO *CARMINA*, COLLEGIT JOHANNES-ANTONIUS SERGIUS &c.

C'est-a-dire : *Vers de* Joseph Aurelius de Gennaro, *recueillis par* Jean-Antoine Sergio, *in* 4. 128. *pages* . A Naples, *chez Jean de Simone* . 1742.

Juin 1746. *Pag.* 1112.

MOnsieur Sergius, l'Editeur de ces Poësies, & qui prend la qualité de Jurisconsulte, dans une assez longue Préface, qui mérite d'être lue, & qu'on trouvera à la tête de ces Poësies, combat d'abord un préjugé, qui n'est que trop commun aujourd'hui dans le monde. Ce préjugé conduit à regarder presque tous ceux, qui font profession de la science des Loix, non seulement comme incapables de réussir dans la Poësie & dans les Belles-Lettres, mais même jusqu'à leur interdire ce genre d'étude, comme peu convenable avec le sérieux & la gravité de leur état.

Il fait voir, que comme l'idée d'un parfait Jurisconsulte renferme celle d'un homme versé dans la science du Droit public & privé, des Loix Romaines, & de celles de son Pays, il est impossible d'aquerir cette connoissance, à moins que par le secours des Belles-Lettres,

 on

on ne se soit mis en état d'entendre parfaitement les bons Auteurs Latins, puisque les anciennes Loix n'ont pas été puisées dans les Ecrits barbares des Goths, mais dans les sources les plus pures de la langue Latine, parmi les quelles les Ouvrages des Poëtes tiennent le premier rang.

N'est-ce pas, dit-il, dans leurs Ecrits, que les Avocats pourront aquerir la force, la variété, l'abondance, l'art de remuer le cœur humain, & tout ce qui caractérise l'eloquence nécessaire à tous ceux, qui sont destinés aux fonctions du Barreau. D'ailleurs si le droit de la nature & des gens est fondé sur le consentement & la pratique des Nations, où trouve-t-on ces vérités mieux expliquées & peintes avec des couleurs plus vives, que chez les Poëtes? N'est-ce pas d'eux, que Grotius, & après lui Puffendorf & Barbeyrac les ont tirées; car qui ne sçait que les Poëtes ont été les premiers Réformateurs des mœurs; que ce sont eux, qui ont rassemblè les hommes en société, & qui leur ont donné des Loix.

Ce seroit en vain qu'on objecteroit, que Platon a banni les Poëtes de sa République, & que les Lacédémoniens n'en vouloient point souffrir parmi eux. M. Sergius montre que l'intention de ce Philosophe avoit été seulement d'en exclure les Poëtes, qui usurpoient ce beau nom pour corrompre les mœurs par des peintures dangereuses, ou la Religion par des fables aussi absurdes qu'impies. C'est ce qu'il prouve par l'exemple même de Platon, dont la prose est toute Poëtique, & par celui de Terpandre, qui au rapport de Saint Clément d'Alexandrie avoit mis en vers les Loix des Lacédémoniens.

Les plus grands Orateurs, les plus célébres Jurisconsultes parmi les Grecs & les Latins, Démosthénes, Cicéron, Pline le jeune, Quintilien ont cru, que la Poësie pouvoit être d'une grande utilité à ceux, qui fréquentent le Barreau; aussi voit-on que Lucain, Juvenal, Silius Italicus, Prudence, & Sidoine Apollinaire, se sont également distingués parmi les Poëtes, & parmi les Orateurs.

Notre

Notre Auteur rapporte ensuite une longue liste des plus fameux Jurisconsultes de l'Antiquité, *Juris lumina & numina*, qui tous n'ont pas dédaigné de s'appliquer à la Poësie ; de là vient que dans l'ancien Corps de Droit, on trouve souvent les décisions des plus célébres Jurisconsultes exprimées dans un langage Poëtique, qu' qu'ils y citent des Vers, & qu'ils y font de fréquentes allusions à différens endroits d'Ennius, de Lucréce, & de Virgile, & que quelques-unes de leurs décisions sont appuyées de l'autorité d'Homere. On rencontre même jusques dans le Droit Canon diverses citations tirées des Poëtes.

Lorsque les Lettres commencérent à sortir de la Barbarie, où l'Empire Romain avoit gémi depuis l'invasion des Barbares, Alciat ne se distingua pas moins par son goût, & son talent pour la Poësie, que par ses Commentaires sur les Loix Romains. On en peut dire autant d'Antoine Goveanus, de Budée, de Pierre Pithou, d'Hugues Grotius, de Muret, de Jacques-Auguste de Thou, de Gilles Menage, de l'illustre Gravina, & de plusieurs autres, dont l'Auteur fait mention, & dont plusieurs ont fleuri à Naples; ces grands Jurisconsultes dans les fonctions d'Avocats, de Juges, ou même dans les premiéres Charges de la Magistrature, ont sçu tempérer la sévérité de l'Etude des Loix par la douceur de la Poësie.

Pour derniére preuve de la compatibilité de ces deux Etudes, M. Sergius apporte ici l'exemple de M. de Gennaro, dont il publie les Poësies ; tout Naples lui rend le témoignage de ne s'être pas moins distingué dans ce genre, que par la force de son éloquence, & par la science des Loix ; il en donne pour preuve le Livre , qu'il a publié sous le titre *de la Republique des Jurisconsultes*, Livre, qui sera, dit-il, un monument éternel de la parfaite connoissance, que l'Auteur a de la Poësie, de l'Eloquence & des Loix.

Nous ne nous étendrons pas davantage sur cet Ouvrage, qui a été réimprimé a Leipsick par les soins de M. Menkenius, parce que nous en avons donné l'Extrait dans notre Journal d'Auril.

Quoiqu'il y ait plusieurs piéces de Vers de M. de

Gennaro dans ce dernier Ouvrage, & qu'on en trouve encore quelques autres de sa composition imprimées ailleurs, cependant M. Sergius, qui désiroit depuis longtems de les voir rassemblées dans un seul corps, ayant engagé le frere de l'Auteur de lui en laisser prendre une copie, il a crû pouvoir par une fraude, qu'il appelle innocente & permise, les donner au Public.

Il les a divisées en trois Livres. Le premier renferme des Elégies sur les devoirs des Magistrats. L'Auteur, aprés s'y être élevé jusqu'aux qualités les plus sublimes, qui constituent le parfait Magistrat, y descend avec dignité aux plus petits détails nécessaires, pour en remplir avec décénce toutes les fonctions. Ce Livre, selon M. Sergius, est d'autant plus interessant que la matiére en est absolument neuve, & qu'elle y est traitée avec autant d'ordre & de clarté, que si l'Auteur avoit écrit en Prose.

Nous nous contenterons de rapporter un seul Morceau de ce Livre, pour donner une idée de la Poësie de M. de Gennaro; nous l'avons pris au hazard du commencement de l'Elégie 6. dans la quelle il soutient, qu'un Magistrat ne doit être ni pauvre ni riche.

Nec pauper, nec dives erit, qui judicis implet
Munus; paupertas, divitiaque nocent.
Pendet ab extremis vitium; corrumpitur omne,
Si quod parte nimis distat utrâque Bonum.
Si caret, aut multo si sanguine corpus abundat;
Vitam non poterit sustinuisse diu.
Consistunt, florentque aquali pondere vires;
Hoc aucto, hoc pariter deficiente, cadunt.
Is, cui res angusta domi est, qui paupere censu
Stringitur, officio par nequit esse suo.
Sorte gravi afficitur, nusquam mens libera curis,
Semper vicinis exagitata malis.
Et timet, & dubitat; pariter diffidit, & optat;
Nunc spes, nunc pallor, nunc stat in ore pudor.

Hi

Hi varii affectus, veluti tot in æquore venti,
Conflictu assiduo saucia corda premunt.
Integritas raro cum paupertate cohæret;
Illa animum ditat, corpus at ista premit.
Quodque juvat, non quod melius, quod & utile, non quod
Est mage conveniens, quærit & optat egens.

On a rassemblé dans le second Livre les Epithalames, que M. de Gennaro a fait pour différentes personnes de considération. Comme c'est l'usage à Napies, que tous les Poëtes distingués les en régalent, & qu'on les donne aussi-tôt à l'impression, M. Sergius nous assure que les Epithalames, qui sont sortis de la plume de M. de Gennaro, ont toujours fait les délices de toutes les personnes, qui aiment ce genre de Poësie. Ceux-ci sont pour la plûpart en Vers Elégiaques. On y trouve cependant trois Epithalames d'un autre goût. L'un en forme d'Eclogue, dont les Interlocuteurs sont deux Pecheurs, un autre intitulé *Jeux de Pecheurs*, & le troisiéme *Jeux Champêtres*. Nous citerons ici le commencement du quatriéme, qui a été fait à l'occasion du mariage du Prince Antoine Farnese Duc de Parme, avec la Princesse d'Est.

Vates, divini Vates, quos Græcia, felix
Ingeniorum altrix, & nominis æmula Græci,
Roma tulit; meritoque omnis venerabitur ætas;
Et famam & laudes sublimibus inseret astris;
Si quid adhuc vestri Cineres, Umbræque sepultæ,
Victrices ævi, & rumpentes aspera fata,
Servant castalii, Phœbo inspirante, furoris;
Hunc mihi paulisper concedite. Carminis amplam
Offerri segetem video: Procul hinc rude vulgus,
Hinc animæ procul ignaræ; me insania dulcis
Occupet, insolitoque ferar correptus ab œstro
Per Pindi juga, Parnassique biverticis hortos;
Fundens grande melos. Pudet, ah pudet, inter ovantes

Italiæ plausus, humiles ad plectra camœnas
Poscere, & e facili myrto mihi texere sertum.

Ecce novas augusta domus Farnesia pompas
Explicat, & numero prolis generosa futura
Consulit, en faustis connubia læta parantur
Auspiciis, &c.

Ce Livre est terminé par quelques Epigrammes, composées aussi pour célébrer divers mariages, usage ce nous semble, où l' on n' applique pas ordinairement ce genre de Poësie.

Le troisieme renferme des piéces de Poësies sur toutes sortes de sujets, & principalment sur la mort de plusieurs Personnages illustres. Quelques-unes de ces Piéces sont en forme d' inscriptions, & ont été mises sur les Arcs de Triomphe, & autres Monumens, qui furent élevés à Naples dans les Fêtes, qui suivirent le mariage du Roi, & de la Reine des deux Siciles. On y a rassemblé aussi diverses Epigrammes, que l' Auteur a composées, non dans le goût de celles de Martial, mais dans celui des Grecs.

Nous croyons qu' on souscrira au jugement, que l' Editeur de ces Poësies en porte; les Vers, selon lui, en sont doux & coulans, le tour aisé & très-naturel; il y régne par-tout une extrême clarté. On n' y trouve ni de ces jeux de mots, ni de ces brillantes antithéses, ni de ces expressions métaphoriques & figurées, que le cumun des Poëtes affecte, & qui jettent souvent autant d' obscurité que de dureté dans leurs Ouvrages. Sans recourir à ces ornemens étrangers, qui presque toujours défigurent plus la Poësie qu' ils ne l' embellissent, celle de M. Gennaro, dans une noble simplicité, brille moins par les beautés de l' expression, que par la variété des images. La morale d'ailleurs en est si pure, & les sentimens si nobles, qu' on ne peut les lire sans concevoir une véritable estime pour l' Auteur.

On

On a mis à la fin de ce Livre, quelques Lettres, qui ont été écrites à M. de Gennaro par divers Sçavans; ces Lettres ne pourront manquer de plaire à tous ceux, qui s'intéressent à la grande réputation, que cet illustre Poëte & Jurisconsulte s'est si justement aquise dans sa Patrie & dans les Pays étrangers.



DEL-

DELLE VIZIOSE MANIERE

Del difender le Cause nel foro. Trattato di Giuseppe Aurelio di Gennaro. *In Napoli* 1744. *Presso* Felice-Carlo Mosca &c.

C'est-à-dire, *Des façons vicieuses de défendre les Causes dans le Barreau. Traité de M. Joseph Aurele de Jennaro*. A Naples 1744., chez *Felix-Charles Mosca*, un vol. *in* 4. *pp*. 216. sans y comprendre l'Epitre Dédicatoire, quelques Lettres écrites à l'Auteur, non plus que la Préface qui est de 56. pages.

Janvier 1746. *Pag*. 45.

CEt Ouvrage est dédié au Pape régnant. Le S. Pere a écrit à cette occasion une Lettre des plus obligeantes à l'Auteur. Cette Lettre est en même tems une nouvelle preuve de la protection déclarée, que le Pape accorde aux Sçavans, & un monument infiniment honorable pour l'Auteur. En voici la traduction.

Benoît XIV. Souverain Pontife, vous donne, très-cher Fils, le Salut & la Benédiction Apostolique.

Nous avons reçu votre Lettre, & le Livre qui l'acompagnoit, intitulé, *des façons vicieuses des défendre les Causes dans le Barreau*, Livre que vous nous avez dédié; ce qui nous met dans l'obligation de vous remercier, & pour le livre, & pour l'Epitre Dédicatoire. Votre nom est si célébre parmi les gens de Lettres, qu'avant d'avoir lû votre Ouvrage, nous osons vous promettre de le louer & de l'approuver. Le sujet en est utile & ingénieux; & dès que nous en aurons le loisir, nous nous ferons un grand plaisir de le lire. Là-dessus avec une affection paternel-

ternelle, nous vous donnons la benediction Apostolique. Donné à Rome à Sainte Marie Majeure, le 13. Novembre 1744. , a cinquiéme année de notre Pontificat.

Et au dos est écrit; à notre cher Fils Joseph Aurele Jennaro, à Naples.

Après l'Epitre Dédicatoire & cette Lettre du Pape, on trouve la Preface. Elle est de M. Jean-Antoine Sergio, & peut à bon droit mériter plutôt le titre de Dissertation que celui de Préface. L'Auteur, en effet, parle avec étendue sur l'éloquence du Barreau, & fait une Histoire Critique de cet Art; il en suit les progrès & les différentes révolutions chez les peuples les plus policés de l'univers, soit dans les tems anciens, soit dans les derniers siécles. Il commence par les Egyptiens, il parle ensuite des Hébreux; après il vient aux Grecs, de-là il passe aux Romains; il s'arrête sur les différens peuples, qui divisérent & partagérent l'Empire Romain; il finit par l'Italie & la France. Nous renvoyons à la Préface même ceux, qui seront curieux de voir avec quelle érudition M. Sergio parle des différentes maniêres de rendre la justice, des divers Tribunaux établis chez différentes Nations, & des hommes, qui se sont rendus célébres par le Barreau.

Cet Ouvrage est composé de dix Chapitres, dans chacun desquels l'Auteur traite en particulier de quelque défaut, qu'il croit ordinaire à la profession d'Avocat. Ces dix Chapitres sont précédés d'un petit Discours, qui porte le titre d'introduction; & ils sont suivis d'un autre Discours, que l'Auteur appelle Conclusion.

M. Jennaro, dans son introduction, recherche l'origine de la profession d'Avocat; il en fait sentir la noblesse & l'utilité; & s'il se prépare à découvrir les principaux défauts de quelques-uns des Avocats, ce n'est pas qu'il n'estime & ne respecte cet état plus que personne. Il est lui-même Avocat, & il parle avec tant d'éloquence, & il paroit si bien instruit de tout ce qui a rapport au Barreau, que nous ne doutons pas qu'il ne soit

un

un excellent Avocat. Mais c'est l'amour même, qu'il a pour sa profession, qui l'a engagé à rechercher les défauts, que l'on reproche le plus ordinairement à ses Confréres, afin qu'ils soient plus sur leur garde à l'avenir; & qu'enfin ils cessent d'avilir & de corrompre un emploi si relevé, & si nécessaire dans toutes les sociétés humaines.

C H A P. I

Des études, qu'il est nécessaire que fasse un Avocat.

CE qui fait, selon M. Jennaro, qu'il y a tant de mauvais Avocats, c'est que la plûpart manquent de talent, & que ceux, qui ne sont pas dépourvus de talens, s'ingérent de plaider des Causes avant que d'avoir fait, & bien fait, les études, qui sont nécessaires pour former un bon Avocat.

Les Loix Romaines sont des chef-d'œuvres de bons sens & d'équité; mais on les a souillées, corrompues, obscurcies par un fatras de Gloses & de Commentaires sans fin; on a fait des abregés des compilations remplies de bévûes & d'inexactitude. Les Loix, & les Coutumes de Barbares, qui se sont rendus maîtres des plus belles provinces de l'Empire, sont encore venues embrouiller la science du Droit; enfin les subtilités & la charlatanerie des Légistes, & l'envie, qu'ils ont eue de briller à quelque prix que ce fut, a fait de l'étude des Loix un cahos & un labyrinthe, dont il est fort difficile aujourd'hui de se tirer. Si donc un Avocat ne s'attache à étudier le Droit dans ses vraies sources; s'il ne s'est point instruit dans tout ce qui regarde l'antiquité; s'il ne sçait bien l'histoire & les mœurs des Romains, pour bien pénétrer le sens & les raisons de leurs Loix; s'il a la vanité ou le travers de se piquer de lire & de se charger la mémoire des longues & inutiles rapsodies des Légistes, on ne peut espérer qu'il fasse jamais sa profession avec quelque supério-

périorité, M. Jennaro confirme ces réflexions par une infinité d'exemples pris des Jurisconsultes les plus célébres & par la critique des Ouvrages de Droit, qui ont eu le plus de réputation.

CHAP. II

Défaut de sçavoir bien penser.

CE n'est pas la même chose, dit M. J., „ de sçavoir „ beaucoup & de sçavoir bien; l'un est l'effet d' „ un travail opiniâtre, l' autre est l'effet d' un esprit „ bien réglé; ce n'est qu'en raisonnant juste que l'on „ peut faire un bon usage de ce que l' on sçait; au- „ trement la science devient inutile à celui, qui l' a „ aquise, & elle est pernicieuse à celui, en faveur de „ qui on veut l'employer. Qu' on ait une grande ar- „ mée, & qu'on ne sçache pas la ranger en bataille; „ qu'on ait de grandes richesses, & qu' on les dépense „ sans regle; qu'on soit très-fort, mais qu'on ne sça- „ che pas faire usage de ses forces; la grande armée „ sera battue, le riche deviendra pauvre, & le fort sera „ accablé & vaincu par le foible.

De ce principe M. J. conclud, qu' il faut qu' un Avocat soit excellent Logicien. La Logique seule peut lui apprendre à démêler le faux d'avec le vrai dans toutes sortes d'affaires, à raisonner toujours juste, à proposer ses raisons d'une façon victorieuse, & à découvrir les ruses & les sophismes de son adversaire. Quelques personnes, & en particulier Gravina dans son Discours *sur la manière de disputer dans les matières de Droit*, ont paru faire fort peu de cas de la dialectique. Ils ont voulu la bannir du Barreau, & la releguer dans les écoles. M. J. distingue de deux sortes de dialectique, l'une qui n'a point d' objets sérieux, qui n' est occupée que de mots, & qui ne s'exprime qu'en termes abstraits & barbares. Telle étoit la dialectique, que l' ignorance & le mauvais gout du tems a fait regnér long-tems dans les écoles.

écoles. M. J. ne fait point difficulté de proscrire cette espéce de dialectique. Mais il en est une autre, qui n'est que la raison bien exercée, & appliquée à des sujets importans; elle ne rejette aucun des agrémens du discours, & elle est la compagne inséparable de la véritable éloquence; il pretend avec raison, que cette derniére dialectique est absolument nécessaire à un bon Avocat, & il apporte en preuves l'exemple des plus fameux Auteurs de l'antiquité, & les témoignages de Cicéron & d'autres célébres, qui ont traité de l'art oratoire.

CHAP. III.

De l'affectation.

Bien des gens regardent l'affectation comme un défaut, qui ne fait de tort qu'à celui qui y tombe. M. J. fait voir que l'affectation ne rend pas seulement un Avocat ridicule, mais qu'elle nuit beaucoup à la Cause qu'il défend. L'affectation, en général, est l'envie de paroître ce que l'on n'est pas, ou ce que l'on ne doit pas être. Il y en a d'une infinité de sortes. Un Orateur *est affecté*, lorsqu'il paroit moins occupé de son sujet que de l'arrangement de ses phrases, & du contour de ses périodes; lorsqu'il se pique de rafinement & de subtilités; lorsqu'il cherche à montrer de l'esprit; quand il ne s'agit que de raisonner & de prouver; quand il employe des termes singuliers & hors de l'usage ordinaire; lorsqu'il fait parade d'une vaine érudition, & qu'il cite sans discernement les anciens & les modernes, le sacré & le prophane. M. J. donne des exemples de toutes ces espéces d'affectation, & en fait toucher au doigt le ridicule & les inconvéniens. Il réfute le P. Rapin, qui dans ses réflexions *sur l'éloquence du Barreau* a avancé, que rien ne nuisoit plus à l'éloquence que l'étude de la Jurisprudence, & *de la pratique*. Il fait voir comment un bon Avocat doit & peut allier avec l'eloquence les conoissances nécessaires à sa profession.

CHAP.

CHAP. IV

De la prolixité.

IL ne faut pas qu'un Avocat tire vanité de faire de trop longs plaidoyers, ni qu'il dise avec complaisance, j'ai parlé pendant quatre, cinq, six Audiences de suite sur une même affaire; il ne faut pas non plus qu'il manque de donner à son Discours l'etendue qui convient. Un Moyen a besoin d'être présenté aux Juges sous différentes formes, & la même raison doit reparoître plusieurs fois, afin que si elle n'a pas fait d'abord son effet, elle puisse toucher à la fin; M. J. fait là-dessus des réflexions trésjudicieuses; il examine toutes les parties d'une Plaidoyer & tâche d'en fixer la mesure; mais il est bien difficile de rien déterminer en général sur une semblable matiére. C'est à la raison, à l'expérience & aux circonstances à régler l'Orateur, pour qu'il parle aussi long-tems qu'il faut parler, & qu'il ne fatigue pas les Juges par un babil importun.

CHAP. V

De l'audace.

LE but de ce cinquiéme chapitre est de faire voir, que rien n'est plus à eviter pour un Avocat, que de paroître suffisant, présomptueux. Il faut que l'Avocat parle avec une honnête assurance; mais il ne faut pas que sa hardiesse aille jusqu'à l'audace & jusqu'à l'effronterie. Il faut qu'il se montre en toute occasion tempéré, modeste & décent; & rien n'est plus propre à lui attirer le mépris & l'indignation de ceux qui l'écoutent, que de prendte un ton de fierté & d'insolence. M. J. finit ce chapitre, en rappellant à ses Lecteurs les harangues d'Ajax & d'Ulysse au sujet des armes d'Achille, que les deux Héros se disputent dans Ovide. Ajax est un présomptueux, un homme emporté & violent, qui ne

ne respecte & ne considere rien, & à qui la fierté & l'audace ont troublé le jugement. Ulysse, au contraire, est un Orateur adroit, insinuant, qui sçait se concilier les cœurs, & qui par là fait triompher ses raisons; c'est une image assez sensible de ce qui arrive souvent dans les Tribunaux.

CHAP. VI

De la timidité.

M.J. commence ce Chapitre par faire l'éloge de la timidité, & il dit qu'elle est une des marques des plus sûres d'un bon esprit, & d'un cœur bien placé; mais il entend parler de cette timidité, qui naît de la prudence, de la circonspection & de la modestie; & bien loin que cette espéce de timidité soit à blâmer dans un Avocat, on doit plutôt la lui souhaiter. Mais il est une autre sorte de timidité, qui a sa source dans un défaut de courage, & dans une foiblesse d'esprit, qui ôtent à un homme le libre usage de ses facultés. Quand un Avocat est atteint de cette espéce d'infirmité, on ne peut plus rien en attendre, & il doit lui-même renoncer au Barreau. C'est ce que M. Jennaro prouve fort disertement dans ce Chapitre; il fait sentir tous les inconveniens, qui naissent d'une timidité excessive & à contretems; il montre de quelle liberté d'esprit il faut que jouisse l'Orateur, pour se tirer des embarras, où le jettent souvent des questions dangereuses à traiter; il prouve tout ce qu'il avance par des exemples tirés des Oraisons de Cicêron; & il conclud que trop de suffisance est un défaut moins contraire à la profession d'Avocat, qu'une timidité excessive. Il croit qu'on peut à force de travail venir à bout de surmonter la timidité, qui vient du peu d'expérience ou du défaut d'éducation; mais il pense qu'on ne trouve point de reméde, ou au moins très-difficilment, pour la timidité, qui est naturelle.

CHAP.

CHAP. VII

De l'inconſtance.

M. J. entend par l' inconſtance dans un Avocat la légéreté, qu' il montre à changer d' opinion d'un moment à l'autre, & à décider aujourd'hui qu' une Cauſe eſt bonne, & demain que cette même Cauſe eſt mauvaiſe. Il penſe que ce défaut procéde de trois cauſes, ou de ce que l' Avocat n' a pas aſſez étudié, & ne s'eſt pas inſtruit aſſez à fond de tout ce qu' il faut qu' il ſçache, ou de ce qu' il ne ſçait point faire uſage de ce qu' il a appris. M. Jennaro croit que l' étude de la Géométrie eſt plus propre que toute autre étude à donner à l'eſprit une aſſiette ferme, & à l' empecher de varier. Il eſt d' avis auſſi que l' Avocat doit étudier le monde, & être très-profond dans la conoiſſance des Loix. M. Jennaro parle ici contre les études ſuperficielles; autre-fois, dit-il, on ſe contentoit d' avoir appris tant bien que mal, quelques termes de Grammaire & de Dialectique, enſuite on ſe jettoit dans l' étude du Droit. C' eſt un autre abus qui régne aujourd' hui. On a multiplié à l' infini les Dictionnaires, les Journaux, les Abregés, tous Ouvrages très-propres à faire des demi-Sçavans, gens très-ſuffiſans, mais qui n' ayant aucunes conoiſſances approfondies, changent chaque jour d' opinions. M. J. approuve fort que l' on prenne tout le tems néceſſaire, pour ſe déterminer ſur une queſtion; mais il veut que l'on prenne ſi bien ſon parti, que l' on ne ſoit pas expoſé a varier. Il parle enſuite des Juriſconſultes, qui ſe ſont rndus fameux par leur inconſtanse.

CHAP. VIII

De l' entêtement.

M. J. dit, qu'il ſeroit fort embarraſſé, ſ' il avoit à décider lequel eſt le plus grand défaut edans un

Avocat ou de la legéreté, ou de l'entêtement. Il fait voir que ce dernier défaut procéde ordinairement de l'ignorance & d'un amour propre excessif. Il entre dans le détail de tous les mauvais effets, que produit l'entêtement dans un Avocat, & à son ordinaire, il joint les exemples aux réflexions. Il finit en disant que l'entêtement est dangereux sur-tout, lorsqu'il se trouve appuyé d'une puissante protection.

CHAP. IX

De la fraude.

COmme dans la guerre il y a des ruses qui sont permises, & d'autres qui ne le sont pas; de même il y a dans le Barreau des finisses, qu'un Avocat peut & doit même employer: mais il y en a d'autres, qui le deshonorent, & c'est ce qu'on nomme *fraude*. On a recours à la fraude, ou parce qu'on ne peut obtenir ce que l'on souhaite avec trop de passion, ou parce qu'on ne peut l'obtenir aussitôt qu'on le voudroit. M. J. convient que la fraude régne au Barreau autant & plus que partout ailleurs; il entre dans le détail des différentes espéces de fourberies, qui s'y rencontrent; il fait sentir toute la difformité & toutes les conséquences d'un vice si odieux; & pour représenter un fourbe parfait, faire connoître ses tours & son langage, M. J. copie ici & traduit dans sa langue la Harangue, que Sinon fait à Priam dans Virgile.

CHAP. X

De l'avidité & de l'intérêt.

CE vice dérive selon M. J. du peu de conoissance, que l'on a des biens interieurs, & d'un trop grand amour pour les biens qui sont hors de nous. Il sembleroit que la profession d'Avocat étant une des plus hono-

honorables, qui soit dans le monde, elle devroit s'exercer avec plus de noblesse & de désintéressement que toute autre. Mais il n'est que trop vrai, que l'amour de l'argent ne l'a pas moins infecté que les autres états. M. J. dit là-dessus de trèsbelles choses; il examine si l'Avocat ne devroit pas faire sa profession gratis, ou s'il lui est permis de recevoir un honoraire de ses Cliens; il convient que l'Avocat doit être récompensé de ses peines, mais il veut que ce ne soit pas en mercenaire. Il exige qu'il plaide gratuitement pour la veuve, l'orphelin & le malheureux, qui n'a pas le moyen de payer. Il parle des plus fameux Jurisconsultes, qui ont été taxés d'avarice.

M. J. conclud ce traité qui tient de la dissertation & de la déclamation en résumant presque tout ce qu'il avoit dit auparavant, il prouve que pour ce monde même il est plus aisé & plus avantageux de suivre la loi de la probité que de s'en écarter. Il s'étend fort au long sur les Etudes, que demande la profession d'Avocat pour parvenir aux premiers rangs.

Ce Livre est terminé par un recueil de Lettres de complimens à l'Auteur, & de différens témoignages rendus en sa faveur.

ELOGIUM
JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO,

Ex Viri Cl. JO. LAMII Memorabilibus Italorum eruditione præstantium, *tom. II part.*1. *Florentiæ ann.*CIↃIↃCCXLVII

JOSEPHUS AURELIUS
DE JANUARIO [1]

JOSEPHUS AURELIUS DE JANUARIO ex HORATIO DE JANUARIO, qui in Advocationis munere diu se exercuit, & CÆCILIA de FRANCO, Neapoli ann. CIƆIƆCCI natus est. Primum studiorum tirocinium in Societatis Jesu scholis posuit: in quibus, qua erat ingenii perspicuitate, promta tenacique memoria præditus, præclara semper præbuit litterarum specimina. Mox, cum docta Neapolis nuperrimæ tunc RENATI CARTESII Philosophiæ studiis ferveret, sedulo in ea incubuit, feliciterque processit. Cum vero egregius optimæ spei adolescens Foro destinaretur; cultiori primum Jurisprudentiæ, mox forensi operam sedulam navavit: inque Forum ipsum deductus, tanta eminuit protinus dicendi scribendique vi ac ubertate; ut in primi subsellii Advocatorum numerum publica existimatione fuerit relatus. Quod quidem ex ejus perspicuis Dissertationibus, Etrusco, Latinoque stilo, pro graviorum caussarum; Patriæ præsertim, patrocinio conscriptis, facili negocio poterit dignosci. His permotus CAROLUS BORBONIUS, Neapolis & Siciliæ Rex, eum togæ honore anno CIƆIƆCCXXXVIII cohonestavit; & in Judicem Tribunalis, quod Neapoli Magna Curia Vicariæ dicitur, fausto omnium plausu & acclamationibus, elegit. Quanta vero ejus sapientiæ justitiæque laus ac fama tunc effulserit, vel ex hoc pronum erit colligere, quod cum idem Rex sapientissimus de Legum Neapolitanarum Codice concinnando ingentem curam suscepisset; huic tam arduæ provinciæ Judicem DE JANUARIO cum aliis præclarissimis Senatoribus admoverit potissimum. Cum autem eruditionis & interiorum litterarum cultum amore semper

[1] Joanne Antonio Sergio J. C. auctore.

deperiisset ; ejus rei & ab ineunte ætate insignia protulit argumenta . Cujus laudis libri ab eo conscripti, inter quos eminet RESPUBLICA JURISCONSULTORUM, qua Jurisprudentiæ historiam concinna novaque elegantia complexus est, & nitidissima ejus LATINA CARMINA fidem faciunt luculentissimam : quippe quæ ob argumentorum inventionem , & ingenuum stili leporem ad Latinorum Poetarum scribendi rationem potissimum exactum , magnis plausibus ab Italis non modo , sed a Germanis , Batavis , Gallis fuerint excepta . Vivit nunc , fœmina incomparabili JULIA CASTALDA uxore, pluribus ex ea jam susceptis filiis , & præclara laude efflorescit ; aliaque ingenii pignora Eruditorum Respublica ab eo efflagitat , ac propediem exspectat .

Opera typis edita .

Respublica Jurisconsultorum, in 4. pag.420. Neapoli , typis Felicis Muscæ anno CIϽIϽCCXXXI *tum vero Lipsiæ, in 8.ann.*CIϽIϽCCXXXIII *cum Epistola Friderici Ottonis Menckenii , qua librum Auctori inscripsit* (1)
Istoria della Famiglia Montalto , in 4. in Bologna, presso gli Eredi di Francesco Longhi, nell'anno MDCCXXXV di pag. 152.
Latina Carmina , in 4. *pag.* 128. *absque Præfatione & Indice , Neapoli anno* CIϽIϽCCXLII
Legales Dissertationes .
Delle Viziose Maniere del difender le cause nel Foro, in 4. *di pag.* 216. *in Napoli* CIϽIϽCCXLIV (2).

Inedita .

Dissertationes ad Grotii librum de Æquitate .

Cum autem Vir eruditissimus Jo. ANT. SERGIUS in hoc

(1) Neapoli denuo hoc vertente anno CIϽIϽCCLII cum *Autumnalibus Feriis* , recusa est in 4. & in 8.
(2) Et Venetiis, anno CIϽIϽCCXLVII

hoc JOSEPH. AUREL. JANUARII Elogio concinnando paullo brevior, nescio qua de caussa fuerit, quam forte ejus erga tantum Virum amor & benevolentia, aliorumque desiderium postulare videbatur [ne hominis modestiam [1] offenderet factum puto] liceat mihi, quædam huc transferre ex

[1] Ita sane. Viri, cujus vel ipsum nomen instar omnium laudum est, modestiæ consultum volui. Hæc vero post septem ferme annos, ut monitis paream sapientissimorum JOANNIS LAMII, & JACOBI BRUCKERI, qui postmodum ejus Elogium Augustæ Vindelicorum anno CIↃIↃCCL magna eloquentiæ ubertate conscripsit, nunc subnectam.

Anno CIↃIↃCCXLV Cl. DE JANUARIO amplissimi Senatus Regalis Cameræ S. Claræ, summo honoris consensu, electus fuit a Secretis. Quo in munere, mentis acie, alacritate, atque in expediendis cujusvis etiam moliminis negociis incredibili enituit celeritate. Per id temporis Fisci Advocatus in supremo bellico Consessu renunciatur. Biennium prætergressus, anno CIↃIↃCCXLVII ad Regii Consiliarii dignitatem evectus; ob subactam Romani Patriique Juris peritiam, justitiæ & æquitatis sapientiam, majori in dies auctoritate & laudum floret incrementis. Siquid vero hisce ex studiis sit reliquum, ingentes ejus spiritus haud conquiescunt: illud in pulcherrimarum rerum meditatione & commentatione impendit. Adeo litterarum amor, a puero conceptus, progrediente ætate non deferbuit. Aut igitur in civilem doctrinam incumbit, non strigosam quidem illam atque horridam, quæ squalenti sit oppressa barbarie; sed quæ e perspicuis Jurisconsultorum fontibus, ex veræ Philosophiæ sinu, & ipsius honestate Naturæ derivatur: aut mitioribus studiis graviorum disciplinarum delinendam suscipit severitatem. En subsecivarum hujusmodi horarum specimen in hisce FERIIS AUTUMNALIBUS. Has, adhuc e prælo recentes, tantopere præ cæteris

ex Epiſtola Viri percelebris FRIDER. OTTON. MENCKENII Lipſienſis, ad JANUARIUM ſcripta, & Lipſienſi editioni REIP. JURISCONSULTORUM præfixa, quæ quanti ab eo, aliiſque Germanis, JANUARIUS fiat; luculenter oſtendunt.

Illa

ris admiratus eſt ingeniorum ille æſtimator acerrimus Cl. JACOBUS FACCIOLATUS. Has denique qui colluſtraverit; Muſarum & Sapientiæ deſcriptas ſtatuet manibus. Mox accedent Orationes, rerum copia, ſermonis integritate egregiæ, ab eodem dum adhuc Advocati munus obiret; in Senatu habitæ: quo ſcriptionis genere hac ætate caret Italia. Accedent præterea quæ de univerſa Naturæ & Gentium Juriſprudentia perquam acute perquam erudite meditatur. Faxit Deus, hæc poſtrema potiſſimum proveniant; ut, hujuſmodi doctrina, exteris etiam Gentibus, quæcumque eorum ſint magna nomina; non invideamus. Hæc quod ad præclarum huc uſque peractæ vitæ curſum; ejuſque operum editiones. Pauca nunc de ingenio & moribus. Splendidiſſimo vir ingenio eſt: cujus vis in eo potiſſimum elucet, quod multa ſimul celeriter agitet, cauſſas rerum conſecutioneſque vel primo obtutu conſpiciat. Raro decidunt, quæ memoria ſemel ipſe fuerit complexus. Rerum imagines, quæ animo inſideant; vigentes: præſentis vero animi amplitudo excelſa; nec ullo cupiditatum turbine afflata. Eloquendi maxima vis; argumentorum robore; verborum copia, uberibuſque ſententiis profluens; quæque non in fuco illitam; ſed in nativo ſplendore nitidam ſeſe explicet venuſtatem: Qualis in ſtilo; in vita munditíes. Urbanitas & lepos ingenuus. Carpit in libris vitia; non homines. Nullum obtrectandi ſtudium, quo mores & litteræ jam dilabuntur. Pietatis, juſtitiæ, Juriſprudentiæ cultus egregius; ut juriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium vero juriſperitiſſimus, quod de Q. Scævola Tullius, merito poſſit nuncupari. Sapiens morum ſuavitas

Illa autem ita habent : *Invidemus Italiæ tuæ civem talem, quem unum opponere jam turmis Germanorum potest. Habet illa, cur auspicato te natum sidere putet, post tot sæculorum tenebras. Habet jam, cur in spem magnam sese erigat, & brevi reditura per te speret* ALCIATORUM, AVERANORUMQUE *tempora. Qui si pergas ita propitias tibi Musas habere, & incumbere in gloriam Gentis tuæ, & Romanæ Jurisprudentiæ restituere nitorem pristinum; non erit postea, cur præ Italis tuis efferant se multum Germani nostri. Sane, quæ inter Gentem utramque erit, mire provehet artem nostram, & in pudorem conjiciet ignavum vulgus, æmulatio. Et tamen tenerrime te amo, & crucior desiderio videndi tui, & in os laudandi. Malim ego unam Rempublicam tuam, quam* BARTOLOS *sexcentos legere: in qua, si tamquam in speculo intueri licet ingenium tuum, jam, quem conferam, quem anteponam tibi, non invenio. Tui similes vix ætas præsens adhuc multos protulit: certe inter paucissimos, qui tanto operi sufficerent, unus tu fuisti, qui calcatam nulli adires viam tandem. Est hic torpor sæculi, & adsuetudo turpis ineptiarum. Dignus tu, qui in Republica Juretonsultorum Dictator aut supremus Judex constituare. Una hæc nostrorum hominum, & quidni tuorum? vox est: &, si in suffragia eatur, neminem habebis non plaudentem tibi: adeo nihil est in doctissimo libello tuo, quod non placeat mirifice, & supra vulgarem sensum sit longissime. Rara hæc Scriptoris felicitas, probari ab omnibus, & in omnium amorem atque gratiam venire; hac præsertim tempestate, qua nemo est, qui non suas magis, quam alienas, laudes consectetur; &*

laboris

vitas imperturbata. Vincit modestia, quos doctrina. Non se inani fastu, qui caliginem offundit intelligentiæ, circumspicit. Quoscumque denique supra honores ac munera, humanitate, benevolentia, sanctiorisque amicitiæ legibus, adsurgit. Plura non est cur adjiciam. Vir summus, ut olim de M. Catone Sallustius, bonus esse mavult, quam videri. *J. A. Sergius*.

laboris nostri frustra ab eruditis merces expectatur ? Noveras scilicet, si unum id ageres, ut doceres lectores tuos, & severa fronte ad interpretanda Jura te converteres, habiturum te ex Gente nostra, si non superiores, certe pares aliquos. Itaque, callido artificio, urbanitate gravitatem temperasti; & id, quod suave ac jucundum est, in horrida dumeta legum intulisti. Ut, quæ fuerat, rugosa nuper, & austero vultu incesserat, amabilis per te facta sit & venusta Jurisprudentia. Quem enim non argumenti statim, in quo versaris, partim novitas alliciat, partim elegantia delectet? Aut quis tam morosus est nostrum, qui incognitam huc usque, & tot pulcherrima spectacula præbentem, Rempublicam lustrare, aut confabulantibus tam docte auditorem se dare omnis ævi Jureconsultis nolit? Ad hæc, in ipsa Reipublicæ sacraria & intimos recessus intromissus, quis non majestatem & splendorem loci admiretur; & delatum se in ipsos hortos Venerum, aut longius progressus, constitutum in medio consortio Deorum, putet, nec adscisci hic in civitatem cupiat? Quis vidisse umquam pulchrius quid elegantissimis illis, artificiosissimeque pictis, & ad vivum expressis prorsus, veterum Jureconsultorum imaginibus, & exquisitis earum coloribus, dicat, nec in his omnibus dexterrimi manum artificis agnoscat? Denique, quem mollissimi cantus illi, haud extra hanc Rempublicam auditi umquam, nec nisi Ovidianis citharis accommodati, in quibus omnem ingenii tui vim expertus, omne laudum & præconiorum superasse genus videris; non ita demulceant dulcedine ac suavitate sua, non ita extra se rapiant totum; ut pedem referre ex amœnissima hac regione nesciat; &, quasi adligatus his deliciis, æternum sibi in Jureconsultorum Republica domicilium cooptet?

EX

EX PINACOTHECA

Scriptorum nostra ætate

LITTERIS ILLUSTRIUM,

Quæ exhibet Auctorum Eruditionis laude, Scriptisque celeberrimorum, qui hodie vivunt, Imagines, & Elogia:

Vitas, Scripta, Litterarum merita recensuit

JACOBUS BRUCKERUS,

Academiæ Scientiarum Berolinensis, & Bononiensis Membrum.


Imagines ad Archetypa ære accurate expressit

JOANNES JACOBUS HAIDIUS,

Pictor & Chalcographus,

DECADE VIII,

Augustæ Vindelicorum. Apud Jo.Jac.Haidium.
CIↃIↃCCL



JOSEHUS AURELIUS
DE JANUARIO.

MAgnis quidem tenebris cinxerat Jurisprudentiam, quæ, Lothario auctore, caput tunc vix erigere ausa fuerat, nox illa barbara, quæ bonis litteris, omnique disciplinæ cultiori situm induxit & rubiginem; itaut a pristino, quem inter Romanos nacta erat, splendore & majestate ad ineptiarum dedecora relaberetur, faciemque ab Irnerio ad Alciatum usque referret effœtam & invenustam. Ast exorto novo scientiarum sole, ipsa quoque nitori pristino restituta tandem est, hisque radiis collustrata, quibus elegantiæ humanitatis studiorum in ea renasci visæ sunt, verique juris Romani fontes ejus consultis paterent. Quamprimum enim tutum in Italia nidum invenissent Græci exules, & Florentiæ primum, mox per omnes Ausoniæ gentes eruditionis ornamenta hactenus in oblivionem deducta ostentarent, ipsa quoque Juris scientia humaniori vultu & elegantiori facie enituit. Namque cum Latina Juris eruditio, & Romana antiquitas cum Romani Imperii reliquiis suo modo apuod Græcos esset conservata, mansissetque incorrupta magis & aliquanto integra, incursionibus barbararum gentium has mansuetioris disciplinæ scintillas non extinguentibus, ipsisque eloquentiæ veteris Græcæ & Romanæ atque Juris fontibus adhuc, in Græcorum manu versantibus; has divitias, quæ in Græcorum scholis usque ad excidium Costantinopoleos obtinuerunt, depressam patriam deserentes Græci, una cum Basilicorum libris in Occidentem detulerunt; effeceruntque studiis suis, ut, quibus mens erat erectior, aperirentur oculi; & majestas veteris disciplinæ apud Græcos & Romanos cultæ eorum oculos vehementer perstringeret; quo non fieri non

non potuit, ut ipsius quoque Jurisprudentiæ decus, hactenus in Occidente inquinatum sordibus & barbaro habitu contemtum, rediret, novisque effulgeret radiis. Itaque quod humanitatis litteris præstare cœpere viri magni, Valla, Politianus, Parrhasius, Bembus, hisque similes plures, qui castigatiorem doctrinam, tum quod ad dicendi scribendique artem attinet, tum quod ad Dialecticam & interpretandi artem spectat, reduxerunt; Id Juris disciplinæ præstiturum divinum Alciati ingenium, magnum Mediolani ornamentum, emendare legum studium cœpit, & revocare ad litteraturæ Græcæ & Romanæ elegantiam. Tunc vero, velut exortus ætherius sol ex nebularum caligine, magno splendore effulgere cœpit recti æquique scientia; oculisque illabi omnium, qui de meliori luto formati nativam pulchritudinem intelligebant: adeo ut Alciatus, vix viginti duos annos natus, in consensum partemque suam pertraheret, quibuscumque mens recta erat sensusque pulchri confirmatior. Quamquam autem ex Italia eum ejecerat invidia; in Galliam tamen delatus, restitutum Jurisprudentiæ honorem in illo quoque Regno propagavit, ipsi Francisco I proceribusque Regni ob illud beneficium factus carissimus. Cujus conatus cum post ejus reditum in Italiam urgerent Ferretus atque Goveanus, qui masculam Romanæ virtutis Eloquentiam ad exempla veteris Græciæ Latiique effinxerant, illique Legum scientiam cum Oratoria arte conjunxissent; Budæus autem, & post eum Brissonius aliique antiquitatis notitiam restituissent; effectum inde est, ut Jurisprudentiæ quoque in hoc Regno majestas obtineret. Cui haud leve decus adjecere Duarenus, Donellus, Hotomannus: Cujacius autem, qui post eos velut heros, alterque Jurisprudentiæ, elegantiis suis restitutæ, parens exortus est, totum perfecit; & ad priscæ magnitudinis, quam apud Romanos habuit, sensum feliciter consummavit. A quo tempore non in Italia modo, sed in Hispania quoque, Antonii Augustini auspiciis, & Germania nostra, Erasmo & commilitonibus auctoribus, cum in mansuetiores litteras magno studio ferri cœpissent, Romani

Juris

Juris scientia cum litteris elegantioribus a magnis viris utilissimo conatu eventuque haud infelici conjuncta est. Atque eo, quem diximus, modo intra duorum sæculorum spatium feliciora & jucundiora in Europa fata Jurisprudentia habuit, quam a novem antea sæculis usa fuerat. Una tamen, quæ recentioribus temporibus reservata fuit, defuit Philosophia sincerior, & inprimis recti æquique naturalis, & ex fundamentis Reipublicæ deducta scientia, cum ad medium usque Seculum XVIII una obtineret Dialectica, & Politica Aristotelis, in formanda quidem eloquentia forensi non plane inutilis; ast nullam tamen juris cognitioni lucem fœnerari apta, quæ ex aliis longe fontibus haurienda est. Ubi vero ingenia cœperunt sectarium Philosophiæ jugum excutere; inspicere annales Philosophiæ, & veteris Græciæ Romæque Philosophiam rimari, ad cujus placita Jurisconsulti Romani dicta sua & consulta exegerant, & tunc quoque sine auctore philosophari, ac naturam in meditando sequi ausi sunt, exortum inde novum quoque Jurisprudentiæ sidus est, nempe Jus Naturæ, quod fundamentum esset omnis Juris scientiæ, cujus vel primas vel potiores tamen partes debemus magno Grotio. Quo pacto ad perfectionis suæ apicem ab eo tempore grassata est, quæ de legibus & æquitate præcipit, sapientia. Quæ cum jungeretur antiquitatum Romanarum notitiæ, & retegerentur latinæ linguæ studio arcanæ legum & intimiores Jurisconsultorum sententiæ, germanis vocabulis, & abstrusioribus singularique scribendi genere declaratæ, ratiocinatione autem libera & eclectica ipsa placitorum fundamenta eruerentur, sicque novo ausu veterum in foro demonstrata eloquentia in imitationem traheretur; dici non potest, quanti inde viri emerserint, quæ inde utilitas ad salutem Reipublicæ civilis pariter atque litterariæ redundaverit, quæque in dies nova lumina legum studio exorta sint, quibus veneres & delicias junxit humanitatis studium, ejectis litigandi & disceptandi in foro licentia & ineptiis. Quam viam ingressi magni nominis Jurisperiti ad honores meritorumque præmia pulcher-

rima & singularia enisi sunt. Ejus Lectori memorabile exemplum exhibemus, illustrem Jurisconsultorum Regis Neapolis & Siciliæ, JOSEPHUM AURELIUM DE JANUARIO; cujus juncta cum Jurisprudentia majestas veteris eruditionis non illius Regni limitibus contineri potuit, sed ad omnem civitatem eruditam pervagata est. Is si una legum scientia & arcanorum Juris eruditione, quæ Philosophia magistra discitur, mansuetioribus disciplinis juncta emineret, immortalitatem tamen nominis suo consecutus merito recte censeretur, eo quod ingenium optimis artibus exornasset: ast veram Jurisprudentiæ pulchritudinem ab inepto fuco vindicando, utilitatemque ejus legulejorum audaciæ eripiendo, novis meruit nominibus ab oblivione vindicari, gratæque posteritatis memoriæ commendari. Id quod ex sequenti Viri summi historia, quamvis ob memoriarum, quas accepimus, brevitatem curta, legentibus erit manifestissimum.

Natus est JOSEPHUS AURELIUS DE JANUARIO anno CIↃIↃCCCI in regia sede Neapolitana, parentibus Horatio de Januario & Cæcilia de Franço. Et pater quidem diu se in advocationis munere exercuit. Ex quo licet conjicere, tum parentis studia feliciter in partes deducta & ad usum revocata, tum filii alacritatem ingenii plurimum ad illud vitæ genus, quod & ipse elegit, contulisse; cum campum sibi apertum videret, in quo vires ingenii supra modum præmaturas & ingentes magna cum laude olim explicare posset. Quod si vero communem tantum ingeniorum mensuram ille complevisset, quæ studiorum circulum panis lucrandi cupiditate dimetiuntur, vel honorum caussa hoc stadium audent ingredi; non aliam certe viam inire statuisset, quam quæ tot hactenus homines per ineptias in forum intrusit. Ast ille, superatis his humilium ingeniorum vallibus, ad meliora & altiora eluctatus, veras animi divitias sectatus est, & cum fine constituto conjunxit. Itaque magno studio ingentique ardore ad humanitatis studia ferri, & antiquitates rimari cœpit. Primum vero studiorum tirocinium in Societatis Jesu scholis posuit; quarum tamen

men discendi via tantum abest, ut a veterum exemplaribus sit retractus, ut totum se Græcis Romanisque scriptoribus immergeret; & in his saltibus floriferis apis instar sedulæ eloquentiæ ac sapientiæ mella colligeret, quibus scripta postea ejus condita sunt. Facile autem inter commilitones eminuit ingenii perspicacia, & promta atque tenax memoria, quibus artibus ea præbuit litterarum specimina, quibus velut futuræ pulchritudinis vestigiis meruit a præceptoribus exemplum condiscipulis proponi. Quod non adulationi nos dare, nec palpum obtrudere velle lectoribus, constare potest ex celeberrimi Viri scriptis florente juventa scriptis, & ex Carminibus ejus Latinis, in quibus ea regnat venustas dictionis, ea scribendi puritas & cum facilitate conjuncta elegantia, quam ad auctorum classicorum exempla formatam veteris ævi indolem referre, rerum periti negare non possunt. Ex quibus recte colligitur, ita eum in adolescentia ad veterum exempla respexisse, ut imitando ipse tandem aliis puritatis & venustatis exemplum evaserit. Et sic uno quidem Jurisprudentiæ fulcro munitus, quod arcana sermonis Latini, & eloquentiam Romanam spectabat, mature intellexit, de altero quoque cogitandum esse, quod sapientiam suppeditaret, nempe de philosophia. Ita enim illo tempore in Italia quoque sanæ de disciplinarum indole sententiæ invalescere cœperant, ut sine Philosophiæ purioris, & in primis rationalis partis, studio constare non posse Juris scientiam contenderent. Cujus rei amplissimum testimonium reliquit elegantissimus Jani Vincentii Gravinæ calamus, in libro, quem de Ortu & Progressu Juris Civilis, Neapoli, eo ipso, quo Noster natus est, anno edidit. His innutritus JANUARIUS, cum jam auctoritatem saniores opiniones essent nactæ, facile aditum ad veros Philosophiæ fontes detexit. Itaque omissa Philosophia scholastica, ad recentiores deflexit commendatos ab illis, qui propiores veritatis fontes exploraverant. Fervere autem nuperrime in scholis Neapolitanis cœperant Cartesianæ Philosophiæ studia, quæ cum pauca de inveniendæ veritatis methodo tradidisset auctor,

ita auxerant sequaces, ut rationalem quoque partem pulcherrimis observationibus instruerent; &, quas ille in sectanda veritate leges præscripsit, suis meditationibus amplificarent. Quibus mire captus JANUARIUS, ingenioque fervens per omnes Philosophiæ partes in hoc campo exercitatus est, eo potissimum fine, ut quid æquitas postularet, quid Respublica ex nativis fontibus posset eruere. Quam philosophandi contentionem miro eventu beatam fuisse, acerrima judicandi & concludendi ratio, qua cuncta arbitrio certissimo discernit Scriptor incomparabilis, luculenter evincit, & immane inter illum & legulejos discrimen statuit. Cum vere foro juvenis optima spe succrescens destinaretur, absoluto Philosophiæ circulo ad Jurisprudentiam delatus, non quod ab haud paucis fieri videmus, posteriora prioribus antepoſuit, & ad usum fori provolavit: sed cultiori primum Legum scientiæ operam dedit, fontes Juris Romani rimando; fundamenta Legum perquirendo, Jurisconsultorum veterum sententias interpretando, & his litteraturam mansuetiorem jungendo. Cui studio laudabili occasionem faventem subministravit locus, in quo vixit, ingeniorum amœnitate & studiorum venustate tunc valde commendatus. Itaque magna illa contentio, qua pro hac Juris cognoscendi via Noster toties dimicavit, ab hoc fonte derivanda est, cujus dulcedinem ipse prius degustaverat. In his vero satis exercitatus tum demum ad Jurisprudentiam forensem pedem protulit; quam tamen ex attenta magis Legum consideratione, & civitatis consuetudine, & ex æqui principiis, quam ex cœca interpretum lectione attigit. Quo pacto mature foro paratus, in comitiis, & coram tribunalibus non sine judicum plausu & advocatiæ felicitate stetit; tantaque protinus, quod afferunt illi, qui multoties eum audiverunt, dicendi scribendique vi enituit, ut in primi subsellii Advocatorum numerum publica existimatione fuerit relatus. Proinde ea erga illum fiducia enata est, qua gravissimarum caussarum, maxime Patriæ patrocinia ad eum perlata, ejusque fidei & eruditioni commendata sunt. Talis cum esset,

ſet, adeo ejus gloria cœpit creſcere, ut nonniſi ſuis meritis fulciri neceſſe eſſet; ea vero adeo multa eſſent & varia, ut famæ quoque & exiſtimationis incrementa neceſſario conſequerentur.

In tanta ingenii doctrinæque venuſtate atque ubertate, in qua ſingulis partibus ea inerat vis atque perfectio, quæ totam tantopere eruditionem commendabat, non privatis tantum laudibus fama JANUARII percrebuit, ſed ad ipſum quoque Regis CAROLI thronum penetravit. Apud quem ita ejus commendatio valuit, tamque efficax habitum eſt teſtimonium, quod recti rerum æſtimatores ei tribuebant, ut eum patriæ ſuoque miniſterio vindicaturus Rex anno CIƆIƆCCXXXVIII Judicem Tribunalis, quod Neapoli Magna Curia Vicariæ dicitur, fauſto omnium plauſu bonorumque acclamationibus eligeret (1). Quanta autem tunc Viri optimi fuit mentis conſtantia tenax propoſiti, totum ſe Regi, patriæ civibus devovendi, juſtitiæque litandi; tantum omnes gaudium invaſiſſe patebat, cum hoc Juris omnis oraculum a Rege tribunali iſti fuiſſe præfectum perſonuiſſet. Nec falſa ſpes fuit publica: cuncta enim prudenter expendendo, legeſque rite applicando, ſeverus juſtitiæ vindex eas ſententias definivit, quibus æquitas ſervata, civitas defenſa, juſtitia promota, felicitas publica confirmata eſt. Itaque cum tantæ mentis ſinceritati Legum experientia & civilis prudentia reſponderet; longe major omnium enata eſt fiducia, ipſo Rege civibus ea in re exemplo præeunte: Qui cum de novo legum Neapolitanarum Codice concinnando cogitationem ſuſcepiſſet, operis ardui ἐργοδιώκτην præcipuum JANUARIUM eſſe voluit; eumque cum aliis Senatoribus huic negotio potiſſimum admovit, ut patriæ ſalus legibus firmata in tuto poneretur. Id quod illuſtriſſimum, qualis ille ſit, eſſe teſtimonium poteſt, Sere-

[1] Nunc vero JOS. AUR. DE JANUARIO, poſt alios Togæ honores, ſuprema Regii Conſiliarii dignitate ornatur.

Sereniſſimo Rege inter teſtes locum tuente, omni dubitatione & exceptione majorem. His zelum ſummi viri, quo in emendanda Fori, & Advocatorum vitia exarſit, merito adjungimus. Quid enim ex eo aliud colligas, quam in id toto eum animo patriæ amantiſſimo ferri, ut Jus ipſum civibus jucundum, ejuſque peritia illius ſacerdotibus facilis ſit & expedita; cum plerumque illis eſſe ſoleat arduum & moleſtum, & his difficile & ſpinoſum.

Et talem quidem illuſtrem JANUARIUM contueri licet in eo Tribunali, cui regendo præfectus eſt: eumdem vero deprehendimus in theatro litterario, in quod magna felicitate prodiit. Non enim unius Græciæ magnæ finibus iſtius ſolis ſplendor contineri potuit, ſed radios quoque ſcriptis eruditiſſimis longe lateque diffudit. Cujus initium fecit *Reſpublica Juriſconſultorum* fauſtis avibus anno CIϽIϽCCXXXI prima vice Neapoli edita. Quæ adeo probavit ſe omnibus, ut inter præſtantiſſima ingeniorum monumenta per totam Europam communi judicio poneretur. Nam & argumenti nobilitas ſalutaris pariter & uſui publico deſtinata, & ſcopus emendandi Juriſprudentiæ nævos, notandi errores, & vitia Juriſconſultorum veterum & recentiorum; & ad æqui verique normam revocandi occupat lectorem, ut in ipſo limine præſtantiſſimo operi faveat. Ea autem in auctore mentis atque morum integritas, cui ſalus publica curæ cordique eſt, eminet, quæ totum ſibi lectorem eripit, auctorique vindicat, ut in una, quam ille ſectatur, ſapientia acquieſcat: id quod neglectum plerumque damnum Juris ſcientiæ attulit maximum. Porro lectio vaſta quidem, at ſelecta cum judicio, & inter obſervationes maxime memorabiles ſine affectatione caput efferens rapit in admirationem lectorem; & velut gemmæ inter ſerias meditationes attentionem provocat, ut numquam delaſſata totum argumentum excutiendo decurrat, nec prius librum niſi totum perlectum deponat. Accedit dicendi genus purum, limpidum, & ex Latii fontibus placide decurrens: quod cum venuſtate certat, luculento ſpeci-

ſpecimine, facilem eſſe ingeniis magnis, & ſupra vulgus elatis in difficillimo argumento perſpicuitatem ſectari atque elegantiam, & ſeveros illi vultus exuere. Quamquam autem mordere interdum ſatyra acutiſſima viſa eſt; ſalutem illa tamen publicam ſectatur, auctoris immemor; & dum vulnerat ſtultitiam atque pungit, melle tamen dulciſſimo lectoris animum ungit totum & delectat: adeo vero inter tot viciſſitudines ſibi ſemper ſimilis decurrit dictio, ut ad præſtantiſſima veteris Orbis exempla non efficta magis, quam ex iſto potius ævo hauſta videri poſſit: cujus quoque indolis inſperſa paſſim Carmina ſunt, quæ Catulliano lepore vinciunt lectorem, ut dimittere librum vix poſſit. Ipſa autem, quam inducit auctor, fabula veteris ævi ſimplicitatem ſapit cum majeſtate conjunctam, & regionem ſiſtit incognitam; in qua manes Juriſperitorum illuſtrium, vel dudum defunctorum, vel nuper, & per tot ſæcula Legum auctoritate & interpretatione celeberrimorum, vel merita enarrant ſua vel errores detegunt; & ſapientiſſimis colloquiis felix illud juris & humanitatis diſciplinarum connubium demonſtrant, & quid emendandum adhuc legum interpretibus ſit, exponunt. De qua quidem tractatione plura dicere, ipſa ejus elegantia poſtulare videtur; ut tamen ei labori ſuperſedeamus, facit repetita in Germania pulcherrimi ſcripti editio, qua raritas Neapolitanæ ſublata; idque omnium manibus parabili pretio traditum eſt, curante has noſtris hominibus delicias eruditiſſimo Juriſconſulto FRIDERICO OTTONE MENCKENIO, profeſſore Lipſienſi. Itaque in hoc magis roſarium lectorem dimittere juvat, quam diutius cum noſtris ſermonibus detinere. Rogandus autem eſt, ut quam editor præmiſit ad auctorem epiſtolam totam legat relegatque, ut ex judice hoc ingeniorum æquo & cordato intelligat, nihil nos adulationi dediſſe, nihil elogii magnificentiæ. Cujus ſumma ut lectori paucis pateat, en inter alia ita differentem: *Dignus tu, qui in Republica Juriſconſultorum Dictator atque ſupremus Judex conſtituare. Una hæc noſtrorum hominum, & quidni puerum? vox eſt: & ſi in ſuffragia eatur, neminem habebis*


bebis non plaudentem tibi ; adeo nihil est in doctissimo libello tuo, quod non placeat mirifice, & supra vulgarem sensum sit longissime. Rara hæc scriptoris felicitas, probari ab omnibus & in omnium amorem atque gratiam venire. In ipsa Reipublicæ sacraria & intimos recessus intromissus, quis non majestatem & splendorem loci admiretur ; & delatum se in ipsos hortos Venerum, aut longius progressus constitutum in medio consortio Deorum putet, nec adsciscì hic in Civitatem cupiat ? &c.

Et hæc quidem ore Latino spe omni atque expectatione pulchriora illustris JANUARIUS præstitit : ast probe gnarus, magnam eorum partem, qui advocando in foro exercentur, carere humanitatis disciplinis, scatere vero vitiis ; ut forensem eruditionem emendaret, & jucundiorem atque utiliorem redderet, de Vitiis Advocatorum eorumque medela vernacula differere constituit ; in qua eadem Nostro adest stili elegantia, eadem dicendi vis & ubertas. Tanta autem animi perspicacia tantaque fiducia in argumento invidiæ pleno versatus, ut quotquot cum clientium damno caput solent in curiis & tribunalibus extollere vitia falce quasi acutissima dissecuerit ; & supra omnes indignantium iras evectus, plenam de teterrimis monstris, quæ Jurisprudentiam deformant, victoriam reportaverit. Ipsos autem mali fontes scrutatus, ex quibus tantum malum in nobilissimam disciplinam solet se insinuare, eamque corrumpere ; recte indignatus est & sapienter, immiscere se Advocantium choris homines, vel a natura noverca male habitos, carentesque sensu rerum & ingenii ubertate atque copia ; vel a disciplina destitutos & ineptientes, quod ingenium bonis artibus temperatum atque emendatum non habeant ; & suis tamen viribus nimium fidentes, manus inferre Jurisprudentiæ sacrariis audeant, violentque sanctissima legum mysteria. Itaque justo dolore deplorat, inane caput eos afferre plenum quidem sui opinione, at vacuum doctrinæ præceptis, & in primis humanitatis disciplinis plane non excultum, & numquam emendasse mentis aciem Rationalis Philosophiæ regulis. Qui cum ingenii venustatem,


ſtatem, qua tamen carent, affectent, artibuſque minutis & ſcholaſticum pulverem redolentibus audeant efficere, neceſſario riſum prudentibus movent aut ſtomachum. His addit Scriptor graviſſimus feſtinationem, diligentia & attentione atque meditatione carentem; eo quod ſoli quæſtui intenti, in id modo nitantur, ut promiſſo potiantur præmio. Qui cum prolixiores juſto plerumque eſſe ſoleant, & vel audaces nimis, vel timidi, non diſplicere non potuere cenſori vitiorum horum acerrimo: Qui in enarrandis obeloque confingendis vitiis cæteris pari modo verſatur, & inconſtantiam, pertinaciam, fraudes, proterviam, avaritiam turpiſque lucri cupiditatem horum hominum ita rationibus validiſſimis evertit, ut in contemtum merito bonorum omnium eos adducat, velut infenſos ſanctiſſimæ diſciplinæ hoſtes fucoſque & ignarum pecus Reipublicæ. Quod autem damnum afferant Juriſprudentiæ ſtudio inepta ingenia in his vitiis triumphantia ex barbarie doctrinæ & morum quæ olim obtinuit, omneque ingeniorum decus obtenebravit, luculenter exponit, & ad Cujacios, Goveanos, Hotomannos, Duarenos, Donellos, Grotios potius jubet reſpicere. Et, ut paucis dicam, tanta vis eſt eloquentiæ, tanta dulcedo, ut vinci ab iſta ſapientia merito ſit jucundiſſimum, palmamque debeat ignorantia & malitia. Itaque ſine timore auſus eſt nobiliſſimus Scriptor librum offerre Benedicto XIV P. M. quem omnis Juris Legumque arbitrum eſſe ſapientiſſimum vindicemque æquiſſimum, quis ignorat? Qui cum librum vehementer probaverit, recte inde novi de claritate illuſtris Januarii calculi communem ſenatus litterarii ſententiam confirmant: Quam initis ſuffragiis ita comprobavit Cl. Sergius, ut ſummorum virorum teſtimonia colligeret, libroque adderet, quibus inter maxima Juriſperitorum ornamenta collocatur Vir conſultiſſimus.

Scripta Viri summi sequentia prodiere.

Respublica Jurisconsultorum Neap. 1731. 4. *Lips.* 1733. 8.
Istoria della famiglia Montalto, *in Bologna* 1735. 4.
Latina Carmina. *Collegit Joannes Antonius Sergius* J. C. *Neapol.* 1742. 4.
Legales Dissertationes varii argumenti.
Delle Viziose Maniere del difendere le Cause nel Foro. *Nap.* 1744. 4.
Expectamus edendas dissertationes in Grotium.








XXII
C36